DISPUTATIONES

Displ.

DE

RECTA RATIONE PVRGANDI, DOCENTES QVOS, QVIBVS PHARMACIS, ET QVO TEMPORE, purgare deceat.

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ propositæ:

à

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore Medico.

Joseph Ferron

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.

DISPUTATIO
DE
PURGATIONE
PRIMA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
juniore: Doctore & Professore
Medico:

Respondente

JOANNE SEIDELIO
Boleslaviâ-Silesio.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXX.



NOBILITATE, ERUDITIONE, & Experientiâ Viris eminentißimis,

Philoſophis, Doctoribus, & Candidatis Medicinæ Clariſſ.

Dn. DANIELI BUCRETIO, Patricio, & Archiatro Reipub. Vratislavienſis.

Dn. NICOLAO AGERIO, Profeſſori Phyſices apud Argentoratenſes Academico.

Dn. CASPARO CUNRADO, M.D. Vratislaviæ excellentiſſimo, & Poëtæ Cæſareo.

Dn. MICHAELI SEIDELIO, Medico apud Vratislavienſes feliciſsimo, ac meo Patruo.


Dn. IOANNI DOBRICIO, M. D. & Mathematico apud Vratislavienſes ingenioſiſſimo.

Dn. GEORGIO KOBERO, Phyſico Reipub. Boleslavienſis ordinario.

Dn. GEORGIO BINERO, Candidato Medicinæ digniſſimo.

Dn. NICOLAO FROBENIO, M. Cand. & Practico apud Boleslavienſes eximio:





Patronis & Amicis meis θεῶν χεῖρας P. & hoc de Purgandi ratione auſpicium L. M. D. D. D.

JOANNES SEIDELIUS, Reſpondens.

PROOEMIUM.

TANTA morbificarum causarum vis est atque potentia, ut verissimè Galenus l. 7. meth. med. c. 12. dixisse videatur: nullum affectum manente causa perfectè curari posse. Quod ipsum etiam divinus Hippocrates multis seculis ante Galenum docebat: ac propterea tàm anxiè, tàmque sollicitè inquisitionem causarum morbos efficientium Medico commendabat. Loca apud ipsum hac de re extant plurima: cumprimis verò duo maximè illustria, quæ adscribere minimè pudet, nec piget. Libro de flatibus monet, unum hoc in omnium morborum θεραπείᾳ necessarium esse, ut quæ causa sit, quod principium, quis fons, ex quo corporis vitia scaturiant, cognitum perspectumque habeatur. Nam qui morbi causas indagavit, is, ait, aptus est atque idoneus ad consulendum ea, quæ corpori utilia sunt & salutaria. Libro verò 2. epidem. sect. 4. scribit: oportere Medicum διελθεῖν ἐπὶ τὴν πρόφασιν, καὶ τῆς προφάσιος τὴν ἀρχήν: hoc est, devenire ad causam, sive occasionem: & ad causæ principium: quod Galenus γένεσιν καὶ πρώτην αἰτίαν appellat.

Sunt autem morborum causæ duplices: externæ & internæ. Inter internas Hippocrates l. 2. de Nat. hum. principem locum tribuit diætæ & aëri, quem inspiramus. Nos haud immeritò ex internis plethoram & cacochymiam reliquis præferre possumus. Sunt enim frequentissimæ: potentissimæ: & in cunctis ferè ægritudinum generibus conspicuæ. Pellitur autem plethora potissimùm venæ sectione: cacochymia verò purgatione: juxta regulam Hipp. tùm l. 2. de Nat. hum. tùm aphor. 22. sect. 2. tùm etiam lib. de flatib. non longè à principio traditam: quoniam τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα. Quapropter cum hactenus pluribus disputationibus de venæ sectione, remedio plethoræ, egerimus: visum fuit, quasdam etiam de purgatione, κακοχυμίας auxilio, proponere. Quod quidem ut faceremus, non solùm petitio studiosorũ artis nostræ, quorum studiis velificari æquissimum honestissimumque esse duximus: verum etiam propositæ materiei utilitas atque necessitas nos permovit. Utilitas quidem propterea: quoniam finem Medicinæ respicit: præsentis scil. sanitatis custodiam, & amissæ recuperationem. Nullus enim mortalium adeò probam in-

culpatamque victus rationem servat, quin vitiosos humores intra se colligat. Nulla ægritudo esse videtur, quæ si non principaliter à κακοχυμίᾳ proficiscatur, aliquid saltem illius non habeat adjunctum. Itaque in utraque constitutione corporis, sana & ægra, purgatio utilis est atque proficua. Necessitas verò duabus de causis: tùm quia gravissimæ controversiæ, & difficultates penè inextricabiles in ea se offerunt: quæ ut decidantur, diligenti indagine, & amica sententiarum collatione opus habent: tùm quia in purgando cautè procedendum: & quidem partim propter catharticorum malitiam ac vehementiam: partim verò propter subjecti, quod purgandum, nobilitatem atque præstantiam. Turpis enim est calamitas, inquit venerandus senex l. de purgant. medic. purgante pharmaco hominem è medio tollere: resque, ubdit idem, purgantium non ita se habet, quemadmodum vulgò putatur. Eodem namque medicamento purgantur, & non purgantur: quandoque alia purgantur, quàm quæ purgare solet. Interdum nimium purgat: nonnunquam quæ debet, facit. Cautè verò procedere non potest, qui quos purgare, quid purgare, quando purgare, per quæ loca purgare, quibus medicamentis purgare, quantum purgare, quomodo purgare debeat, ignorat.

PROBLEMA I.



Trum vox καθάρσιος, purgationis, uno semper eodemque modo accipiatur? *Negatur. Ideòque ὁμωνυμία vocabuli explicanda, ut de qua καθάρσει disputetur, appareat. Sumitur autem modis duobus: authore Galeno l. 5. simpl. c. 20. & l. 14. meth. med. c. 7. nec non Oribasio l. 14. coll. c. 43. Uno generaliter, pro quavis vacuatione, qua animalis excrementa expurgantur. Hac ratione & errhina, & apophlegmatizonta, & bechica, & diuretica, & menses cientia, & similia alia, purgantia dicuntur. Altero specialiter, & quidem, ut Galenus loquitur, κατ' ἐξοχὴν, pro ea solùm vacuatione, quæ fit per vomitum, & ventris dejectionem. Ex quibus illa quidem ab Hippocrate ἄνω φαρμακεύειν aphor. 4. 6. 12. 17. & 18. sect. 4. & l. περὶ τροφῆς: nec non ἄνω κάθαρσις aphor. 13. sect. 4. hæc verò κάτω κά-*

θαρσις

φάρσις aphor.25. sect.2. & κάτω φαρμακείη aphor. 20. sect.4. & l. περὶ τροφῆς appellatur. Utitur n. Hippocrates vocibus φαρμάκυ καὶ φαρμακείας non in genere pro quovis medicamento & medicatione: sed in specie pro medicamento purgante, & ea medicatione, quæ purgantibus medicamentis peragitur: quemadmodum Galenus, solertissimus Hippocratis interpres, comm. 2. in libr. Hipp. de fract. t.29. comment. 2. in l.1. Prorhet. t.37. comment. aphor.37. s.2. & comm. 4. in l. de vict. acut. t.115. monet: idq; cuilibet perspicere licet ex aphor.22. & 24. s.1. & aphor.36. & 37. s.2. & aphor.1.2.4.5.6.10.12. 17.18.19.20. & 21. s.4. & aphor.29. s.5. & aphor.31. & 47. s.6. Præter hasce duas *καθάρσιος significationes, quarum secunda tamen, uti dictum, gemina est, etiam tertia apud Hippocratem reperitur: purgatio scilicet non à principio externo, hoc est, Medico & medicamentis instituta: sed ab interno: ipsa nimirum natura facta. Talis κάθαρσις observatur in pleuriticis & empyicis: quando purulentam materiam extussiunt: quam tamen Hipp. aphor.8. & 15. sect.5. ἀνακάθαρσιν vocat. Talis quoq; in mulieribus singulis mensibus fieri solet. Menstruas enim purgationes, quas Hippocrates aphor.32.33.36.39.50. & 57. s.5. καταμήνια: aphor.28. s.5. γυναικεῖα: aphor.56. s.5. ῥοῦν γυναικεῖον: in puerperis verò l.1. de morb. mul. λοχεῖα: & l. de exect. fœt. λόχια appellat, etiam καθάρσιας aphor.60. & 61. sect.5. nec non l.1. de morb. mulier. l. de steril. l. de Nat. puer. l. de octim. partu, & alibi sæpè nominat.* Voce *καθάρσιος hunc in modum explicata, dicimus, nobis hîc eam propositam esse, qua vitiosi humores per aluum, & vomitum, non spontaneo naturæ motu: sed purgantibus pharmacis evacuantur.*

II.

An purgantibus uti liceat pharmacis? *Ridicula & absurda videri posset hæc quæstio. Licere enim corpus purgare, non solùm authoritas omnium Græcorum, Arabum, & Latinorum, tàm recentiorum, quàm veterum Medicorum probat: verum etiam ratio dictitat: & experientia confirmat.* Ratio: *quia quæ præter*

naturam sunt, & vel morbos causari possunt: vel ipso actu jam causantur, eosq́; fovent & augent, submovenda sunt. At vitiosi humores ita se habent: morbosq́; pariunt, & parere possunt. Itaq; submovendi. Submoveri autem commodiùs & celeriùs nequeunt, quàm medicinis purgantibus. Licitum ergò est, urgente necessitate ijs uti. Experientia *verò monstrat, purgationem tàm in* προφυλάξει, *quàm in* θεραπείᾳ *summè utilem & necessariam esse. In* προφυλάξει *quidem propterea: quoniam plurimi sunt ita corpore dispositi, ut nisi ineunte vere vel venam secent, vel purgans sumant, in gravissimos affectus incidant. Id quod Galenus etiam observavit. Videatur præceptum de vacuationibus vernalibus l. de cur. rat. per S.M.c.7. & lib. quos &c. purgare conveniat: & felicissimus illarum effectus exemplis memorabilibus declaratus comm. aphor. 47. sect. 6. Ratio enim consentit: quia omnis* προφύλαξις *in eo consistit: ut declinentur causæ, ne in corpore generentur: aut tollantur, si jam sint collectæ: authore Galeno comm. aphor. 22. sect. 2.* In θεραπείᾳ *autem ideò, quoniam infinitæ affectiones curari non possunt, nisi medicinis catharticis causæ earum extirpentur.* Verum *utut utilis & necessaria sit medicatio per purgantia: refert tamen Cornel. Celsus l.1.c.3. Asclepiadem & vomitionem & purgationes expulisse. Et sunt quidã imperiti & ignobilis de grege vulgi, qui eam adhuc hodiè prorsus damnant. Pro quorum hæresi stabilienda sequentes rationes adferri possunt. I. quia purgantia medicamenta maligna sunt: imò prorsus deleteria: Gal. comm. 6. in l. 6. Epid. t.5. Ventriculum, & maximè eius orificium vehementer lædunt: comm.2. in l. de vict. acut. t.26. & lib. quos &c. purgare oportet, in fine. Contraria sunt concoctionibus, corpusq́; vehementer movendo frangunt: comm.4 in l. de vict. acut. t.44. Vbi purgatione frustrantur, quasi in venenum vertuntur: lib.3. simpl. c.24. Calida & acria sunt omnia: comm.4 in l. de vict. acut. t-7. & l. quos &c. purgare oportet.* Ὑπερκαθάρσεις *cum periculosis efficiunt symptomatibus: l.3. simpl. c.27. Causæ sunt convulsionum & singultus: Hippocr.*

pocr.

pocr.aphor. 4. sect. 5. torminum ventris, vertiginis, nauseæ, mali pulsus, & dissolutionis virium: Gal. comm. aphor. 9. sect. 2. & lib. quos purg. oportet: Omnia adeò ingrato sapore prædita, ut quidam ad illorum solùm mentionem exhorrescant, atq; purgētur. II. quia paucissimis videātur convenire naturis. Sanis *enim illa derogat Hippocrates aphor. 36. 37. sect. 2. & aphor. 16. sect. 4. itemq; Gal. in comment. & in lib. quos purg. oportet.* Neutris, *qui pravo utuntur victu, itidem iisdem interdicit aphor 36. s. 2.* Ægros *ad purgationes ineptos pronūciat, qui acutis affliguntur morbis: aphor. 24. s. 1. qui inflammatione ventriculi & intestinorum laborant: Gal. l. 13. meth. med. c. 11. qui eadem circa sedem, partesq; vicinas divexantur: l. 13. meth. med. c. 6. qui nigra revomunt, cibos fastidiunt, delirant, in pube dolent, intumescunt, vertigine molestantur, debiles sunt, exoluti, decolores, in febribus comatosi: Hipp. l. 1. Prorhet. & Gal. comm. 2. in eundem t. 37. 38. & 39. qui inflammationes patiuntur viscerum: Hipp. l. de vict. acut. & Gal. comm. 4. in eundem t. 22. qui aluum valdè stipatam habent, quiq; dysenteriâ & cœliaca prehensi: Gal. l. 2. de dynamidÿs c. de catharticis: qui capite dolent ob exercitationes, cursum, iter, venationem, aut quemvis alium intempestivum laborē, venerísve usum: qui rauci sunt, decolores, lienosi, exangues, anhelosi, siticulosi, flatuosi: quibus venæ sunt interceptæ: quibus intenta præcordia, latera, & dorsum: qui torpent: & obscurè vident: quibus aurium tinnitus est molestus: qui urinam non continent: qui ex ictero decumbunt: quorum venter cruda egerit: quibus ex naribus, aut per sedem sanguis vehementer erumpit: qui tubercula habent: & vehementes sustinent cruciatus. Ex his enim nullum purgandum censet Hippocrates: quia inquit, ægrum periculo expones, nihilq; juvabis: spontaneasq; liberationes ac judicationes tolles: l. de vict. acut. & Gal. comm. 4. in eund. t. 115. Imò & pingues nimis, nimisq; graciles, & multo abundantes sanguine, & frequenter deficientes, & vix curabiles, & promptè quavis ex causa vomentes, &*

pueros,

pueros, & senes, & mulieres, quibus menstrua largiter fluunt, & qui bonā servant victus rationem, Galenus lib. 2. de dynamid. & Aetius tetr. 1. s. 3. c. 23. à purgatione excludunt. Quin etiam Galeadem non admittit eos, qui sæpè laborârunt cruditate: qui tenacibus & crassis vesci consueverunt cibis: quiq; sub costis tensum, & inflatum ventrem habent, vel eximiè calidum atq; ferventem: aut hisce in locis inflammationes sentiūt: lib. quos purg. oportet. Adde quòd nullum ferè anni tempus ad purgandum Hippocrati videatur idoneum, solo excepto vere: uti colligitur ex aphor. 47 s. 6. Aestatem huic negotio prorsus incongruam judicat: maximèq; eam illius partem, qua caniculæ sidus flagrat: aphor. 5. sect. 4. Sed hæc, & similia tela, *quæ rerum ignari contra purgationem ejaculantur, vix merentur, quæ excipiantur.* Εὔηθες, *inquit Aristoteles 3. de part. anim. c. 3.* τὸ τὰς εὐήθεις τῶν λόγων λίαν ἐξετάζειν. *Paucis tamen eloquemur, quid ad argumenta obiecta responderi debeat.* Omnia cathartica maligna *esse, inficiamur. Sunt enim & benigna & mediocria. Violentiora quæ sunt, Galenus comm. 6. in 6. epid. t. 5. nequaquam in deleteriorum albo reponit. Id quod clarè satis ex ipso contextu apparet. Docet namq; quæ nobis prosunt & nocent, aut manifestis & elementaribus, aut occultis qualitatibus prodesse & nocere. Rursus quæ occultis qualitatibus prosunt & nocent, ad quatuor genera referri: nimirum ad medicamenta purgantia: alimenta: venena, eaq; aut pharmacorum, aut animalium: & venenorum remedia. Ex quibus quæ venenatorum pharmacorum medelæ sunt,* ἀλεξιφάρμακα: *quæ v. ictibus & morsibus virulentorum animalium resistunt,* θηριακὰ *appellantur. Quibus positis, quærit, an non etiam purgantia in venenorum numero haberi possint: sicq; tria tantùm eorum, quæ à totius substantiæ proprietate prosunt & nocent, sint genera? Videri enim deleteria esse: quoniam ultra modum sumpta nos interimunt. Sed mox negando respondet: duabus de causis. I. quia etiam* ἀλεξιφάρμακα *&* θηριακὰ *in censu venenorum essent; eò quòd & illa*

dele-

immoderatiùs hausta nos è medio tollant. II. quia Medici ea solùm deleteria vocare consueverunt, quæ nullo unquam tempore neque sanis, neque ægris opem ferunt. Cum verò purgantium medicamentorum usus temporibus quibusdam necessarius sit & utilis: patet, ea nequaquam deleteria esse. Actuarius l.3. meth. med. c.7. hunc in modum respondet. Purgantia communi quidem generis ratione ex censu sunt eorum, quæ δηλητήρια *appellantur. Verum ab iis, quæ magna sunt corrumpendi vi prædita, dissident: quòd hæc eadem quantitate, nō perinde ac corrumpentia interimant. Nam cùm sunt mediocria, prosunt: cùm verò interdum copiosiùs assumuntur, quantitate perdunt.* Quod purgantia *ventriculum offendant, largimur: si sint vehementiora, & per se atq; solitariè exhibita. Omnia verò eundem offendere, negamus. Sunt enim & mitia: & aloë ita amica est stomacho, ut illum roborare dicatur. Et vehementiora illa non mera ac sincera: sed simplicibus odoratis & aromaticis permista propinantur: quæ non solùm eorum malitiam mitigant atq; obtundunt: verum etiam ventriculum cōfortant: teste Galeno loc. allegat. & l.8. de compos. med.* κ. τόπ. *c. 3. ubi ostendit, etiam Hipp. l. de vict. acut. hoc modo helleborum nigrum obtulisse. Galeno subscribit Act. l.3. meth. med. c 8.* Quod concoctioni humorū *officiant, itidem concedimus. Cōcoctio enim cruditatis per febres, de qua Hipp. & Galen. cit. loc. loquuntur, quiete, calore, & robore virtutis concoctricis opus habet. At purgantia corpus & humores exagitant, calorē minuunt, & vires eneruant. Non ergò tùm danda, cùm cruditas coquenda.* Quod quædā *in* φθαρτικόν τι καὶ δηλητήριον *vertantur, similiter admittimus: sed vehementia esse dicimus, quæ incorrecta. Omnia sic mutari, negamus: & ipse quoq; Gal. loc. alleg. negat. Inquit enim, nonnulla cathartica, actione purgatrice frustrata, nullam noxam corpori adferre, imò alimentum homini præbere. Idem Oribasius sentit l.14. collect. c.41* Quod calida & acria *sint, non ob id detestanda. Aliàs enim aromata quoq; detestanda forent. Et usus specierum aromaticarū,*

quas trageas vocant, itemq́ theriacæ, mythridatij, & similium compositionum improbandus esset: quia calidæ & acres. Castiganda ergò, mitiganda, infringendaq́, si ætatis, sexus, temperaturæ, regionis, anni temporis, morborumve ratione ob caliditatem suspecta. Quod hypercatharses, *aliaq́ gravia excitent accidentia, abusui, & imperitiæ medicastrorum tribuendum, qui nulla habita ratione circumstantiarum modum in dosi excedunt.* Quod ægrè ac difficulter *quandoq; purgatio succedat, non minima causa est, quòd ante illam corpus non factum fluxile: quemadmodum metipse Gal. libr. quos purg. decet, & comm. aphor. 9. s. 2. attestatur.* Quod ingrati *sint saporis, verum est. At coqui est placere palato. Medici studere sanitati & utilitati patientis.* Αἱ μὲν ῥίζαι εἰσὶ πικραί: ὁ δὲ καρπὸς γλυκύς. Quando Hippocrates sanis *purgatione interdicit, de exquisitè & perfectè sanis loquitur, qui vitiosis humoribus vacant, nulliq; vitio sunt obnoxij: non de ijs, qui sani quidem: sed imperfectè: ideòq; nisi à malis humoribus, quos vel inordinato vitæ regimine: vel intemperie alicujus partis congesserunt, liberentur, ægrotaturi.* Eos, qui pravo victu *usi sunt, non simpliciter & absolutè excludit: sed tacitè solùm innuit, cautè tractandos esse: neq; simul & semel validioribus purgandos medicamentis. Celeriter enim exolvi: & quidem ob virium languorem, quo propter paucitatem boni sanguinis laborant. Curandos ergò per* ἐπίκρασιν: *quæ operatio mixta est, sive composita ex evacuatione & refectione. Nam paulatim quod vitiosum est, evacuatur: & pro eo, quod salubre est, reponitur: sicque utriq; indicanti, infirmitati scilicet virium, & corruptelæ humorum satisfit: authore Galeno l. 9. meth. med. c. 10. & comm. 17. sect. 1. aphor. nec non l. 6. de tuend. san. c. 6.* Reliqua argumenta ex *Hippocrate & Galeno allata, indigna sunt, quibus respondeatur. Nimis etiam foret prolixum, respondere singulis. Respondebimus autem, si occasio fuerit data, in disputationis conflictu. Hoc solùm impræsentiarum dicimus, fallaciam in ijs committi* παρὰ τὸ ἁπλῶς.

Non

Non enim sequitur, Hippocrates & Galenus in quibusdam affectibus vel ob virium infirmitatem, vel ætatis inhabilitatem, vel regionis, anni temporis, causarum, morborumve qualitatem purgantibus medicinis adversam, vel corporis, quod ad purgationem imparatum, dispositionem, vel prægressam victus pravitatem, vel inassuetudinem patientium, & ἰδιοσυγκρασίαν *catharticis planè repugnantem, vel habitus corporis ineptitudinem, vel aliarum circumstantiarum incommoditatem, purgationem dissuadent: Ergò simpliciter & absolutè in omni virium, ætatis, regionis, anni temporis, morborum, causarum morbificarum, corporis, eiusq; habitus, & naturæ constitutione, sive* προφυλάξεως, *sive* θεραπείας ἕνεκα *instituatur, eam damnant, & ex albo medicorum præsidiorum eliminant. Hæc enim consequentia si valeret, exterminandæ mehercule etiam reliquæ omnes vacuationes essent: cũ nulla sit, quæ quovis loco, tempore, & in quovis subjecto usurpari possit utiliter.* Aurea est Aurelij Celsi *l.1.c.3. contra Asclepiadem, qui purgationes damnabat, sententia. Sunt, inquit, illæ perniciosæ, si nimis valentibus medicamentis fiunt. Sed hæc tamen submovenda esse non est perpetuum: quia corporum temporumq; ratio potest ea facere necessaria, dum & modo, & non nisi cùm opus est, adhibeantur. Ergò ille quoq; ipse, si quid iam corruptum esset, expelli debere confessus est. Ita non ex toto res condemnanda est: sed esse eius etiam plures causæ possunt: estq; in ea quædam paulò subtilior observatio adhibenda.*

III.

Recténe Galenus purgationem comm. aphor. 2. sect. 1. & comm. 17. sect. 2. aphor. vacuationem humorum qualitate molestantium definierit? *Quinq; potissimùm difficultates hæc definitio patitur. I. quia latior videtur definito. Nam & venæ sectio, & exercitatio, & frictio, & inedia, & balneum, & calorifica atq; diaphoretica inunctio &c. humores qualitate sua molestantes vacuant. Non ergò cum definito reciproca: quod vi-*

tiosum esse Aristoteles l.6.topic.c.1.docet. II. quia videtur definito angustior. Non enim accommodari potest illi purgationi, qua tantùm faeces ex intestinis vacuantur. Faeces enim humores non sunt. III. quia humores qualitate peccantes non vacuatione, & consequenter neq; purgatione; sed alteratione solùm per qualitates contrarias opus habent. IV. quia si per qualitatem non propriè id, quod vocabulum qualitatis sonat; sed aliud aliquid intelligitur, definitio ὁμωνυμίαν *continet, quæ eam facit obscuram: authore eodem Aristotele loc. cit. V. quia contra notas bonæ definitionis aliquem habet defectum. Nam vitiosi humores non tantùm qualitate; sed ~~etiam~~ quantitate peccant. Est enim* κακοχυμία *redundantiæ species, non minus ac plenitudo ad vires & ad vasa. Quodsi humores isti tantùm in qualitate delinquerent, nō in quātitate, purgatio neutiquam vacuatio dici posset. Ratio est: quoniā Galenus coment. 2. in prognost. Hipp. t.14. scribit, se vacuationem propriè appellare materiei quantitate exuperantis: purgationem verò illius, quæ qualitate peccat. Quod ipsum etiam ex parte repetit cōm.22. sect.2. aphor. inquiens: vacuationem esse curationem eius, quod multitudine delinquit.* Verum bona *nobis hæc definitio videtur: non tàm quod ab artis proceribus approbetur, & pro re nata passim adhibeatur: quàm quòd genere ac differentia, partibus essentialis definitionis, constet. Genus vacuatio est. Huius n. definitio purgationi competit: & simul etiam de aliis speciebus* ἐν τῷ τί ἐςι *prædicatur. Definit autem Fernelius l. 2. meth. med. c.1. vacuationem, quod sit eorum, quæ præter naturam in corpore continentur, expulsio. Atqui & purgatio talis est expulsio; humorum sc.* κατὰ ποιότητα λυπούντων. *Differentia sumitur à materia, quæ expellitur: estq; humor vitiosus: cuius ratione, uti mox dicemus, ab aliis vacuationis speciebus distinguitur.* Si quis causalem *purgationis* definitionem *habere velit, sic eam cū Duncano Liddelio l. 5. art. med. c. 12. definiat:* Purgatio *est evacuatio humoris qualitate peccantis, facta à natura, ope & efficacia pharmaci cathartici*

thartici

thartici, administrati à Medico in eum finem, ut sanitas præsens conservetur, aut amissa restituatur. Ita enim omnes illius causas exprimet.

IV.

Quomodo adductæ difficultates tollendæ? Prima *tollitur facillimè. Nam licet aliæ vacuationum species etiam aliquid humorum qualitate molestantium educant: notabilis tamen inter eas & purgationem propriè & specificè dictam est differētia. Hæc autem & in materia quæ vacuatur: & in loco, per quem vacuatur: & in organo, quod vacuat: & in modo, quo fit vacuatio, potissimùm consistit. Etenim purgatio ex artis præscripto instituta vitiosos solùm humores, vel sursum, vel deorsum, ope medicamenti cathartici, per se, & sensibiliter, partim trahendo, partim verò expellendo vacuat. At venæ sectio aliquid quidem vitiosorum humorum in venis consistentium per se & sensibiliter educit: verum non solos vitiosos, sed æquabiliter omnes: & quidē per locum phlebotomo, aut lancetta apertum: idq; consequutione ad id, quod vacuatur. Exercitatio & inedia vacuant quidem: sed humores omnes, nullo organo externo, per habitum corporis, insensibiliter, & per accidens, interventu caloris: non trahendo, nec expellendo, sed discutiendo, dissipandoq;. Eadem ferè ratio est frictionis, inunctionis diaphoreticæ, & balneorum. Nam & ista omnes humores vacuant promiscuè per habitū corporis insensibiliter, per modū discussionis. Latior ergò purgationis definitio suo definito non est: sed cū eo reciprocatur. Licet autē non omnia illius requisita in definitione actu, & explicitè sint posita: implicitè tamē & tacitè in ea continentur: præsertim si de qua purgationis specie hîc disseratur ex problem. 1. in memoriam revocetur.* Secunda cadit, *si dicatur, vacuationem fæcum purgationem non esse: nisi latè sumpto vocabulo: de qua tamen significatione hîc non agitur: uti probl. 1. indicatum. Non enim semper per medicamenta fit: sed quandoq; etiam per alimenta humectantia, emollientia, & lubri-*

cantia: cujusmodi sunt jura pinguia, passulæ, pruna dulcia, ficus pingues atq; recentes, malva, atriplex, poma dulcia assa, oleum amygdalarum dulcium, butyrum recens &c. Imò si maximè per medicamenta fiat, ea tamen, siquidem merè sint ἐκκοπρωτικά, καὶ ὑπαλικά, ἢ ὑπαγωγά, *propriè cathartica non sunt: quia non trahendo facultate peculiari: sed vel detergendo: vel moderatè stimulando fæces extrudunt: ut mercurialis, beta, brassica, & his similia. Itaque opus non est, ut huic vacuationi purgationis* ὁρισμὸς *competat.* Tertia in fumum abit: *quia illi solùm humores alterandi, qui alteratione in pristinam bonitatem reduci queunt. Qui verò vel in primis, vel in secundis qualitatibus, vel etiam in substantia eò usq; à naturali, constitutione recesserunt, ut neq; victu, neq; alteratione, neq; naturæ beneficio meliorari possint, quales sunt, quorum in purgationis definitione mentio facta, auferendi sunt, prorsusq; extirpandi.* Quarta corruit, *si* ὁμωνυμίαν *in definitione esse negemus. Accipitur enim qualitatis vox in propria & genuina sua significatione: estq; humor qualitate peccans nil aliud, quàm humoris species qualitates habens vitiosas & noxias, quæ cacochymiæ nomine continetur: quemadmodum ex omnibus ijs Galeni locis apparet, in quibus de materia, quæ per purgationem educenda, tractatur: inprimis verò ex commen. aphor. 2. s. 1. & comm. aphor. 17. sect. 2. l. 4. meth. med. c. 6. commen. aphor. 47. sect. 6. l. de cur. rat. per S. M. c. 7. l. de purg. med. fac. c. 1. & l. quos purg. oportet.* Quinta dissolvitur, *si statuatur, quantitatis vitium tacitè in definitione comprehendi. Quod quidem ex genere & differentia facilè probare licet. Ex genere quidem: quoniam purgatio dicitur vacuatio. At ubi hæc, ibi aliqua repletio, & materia quantitate excedens præsupponitur: veluti vacuationis definitio ex Galeno allata monstrat. Ex differentia verò: quia antea dictum, humores qualitate peccantes cacochymiæ nomine designari: hanc verò redundantiæ speciem esse. Cur verò solius qualitatis expressa fiat mentio, causa est, quia humores non tàm propter excedentem quantitatem,*

titatem, quàm propter vitiosam qualitatem expurgantur. Hæc enim maximè lædunt: nulloq́ præsidio rectiùs & meliùs tolli possunt, quàm purgatione.

V.

An una & simplex: an varia & multiplex sit purgatio? *Genere una est: specie varia. Omnes autem species, sive differentiæ, sumuntur à materia quæ purgatur: à subjecto, ex quo purgatur: à ductibus, sive meatibus subjecti, per quos purgatur: à causa efficiente, quæ purgat: à modo utendi: à fine: à viribus & effectis.* Ratione materiei *purgatio vel* simplex *est, unius solùm humoris: ejusq́ aut biliosi, aut melancholici, aut pituitosi, aut serosi: vel* composita: *plurium scilicet, aut omnium humorum.* Ratione subjecti *vel* universalis, *quæ ex universo corpore, aut certè maxima ex parte supervacua educit: vel* particularis, *quæ partem quampiam vitiosis liberat humoribus: v. g. ventriculum, intestina, primas venas &c.* Ratione ductuum *alia fit per* superiora: *quæ dicitur vomitoria: alia per* inferiora: *quæ dejectoriæ nomen meretur. Utraq́ rursus aut per* apertos *conspicuosq́ fit meatus: aut per* cæcos & occultos. Ratione causæ efficientis *alia est* spontanea, *quæ citra medicationem quippiam è corpore aut per vomitum, aut per alvum effunditur: alia* artificiosa, *quæ purgantis medicamenti ope suscitatur. Illa rursus vel* critica *est, quæ fit natura duce, excludente id, quod vitiosè se habet, aut superfluit: nempe humorem noxium, prægressis signis concoctionis, in die decretorio, & cum* εὐφορίᾳ *decumbentis. Vel* symptomatica: *quæ irrita est, & præter intentionem naturæ: fitque aut propter imbecillitatem naturæ, quæ humores corporis regere & cohibere nequit, sed prorsum diffluere sinit: aut propter copiam & acrimoniam humorum, qui naturam tantoperè irritant, atq́ stimulant, ut proprio impetu illos è vasis & receptaculis suis foràs exilire permittat.* Ratione modi applicandi *alia perficitur* ore *assumptis: alia* in alvum *infusis: alia* ventri imo,

aut

aut umbilico *admotis pharmacis.* Ratione finis *alia est* vacuatoria: *alia* derivatoria: *alia* revulsoria. Ratione virium & effectorum: *alia* utilis, *quâ talia purgantur, qualia purgari oportet: alia* vitiosâ. *Illa juxta Fernelium l.3. meth. med. c.15. vel est* obscura, *quæ adeò exiguam peccantis humoris portionem detrahit, ut manifestò non levet. Vel* manifesta, *quæ insignem humoris portionem exturbat. Utraq;* imperfecta, minorativa, *&* paulatina *dici potest. Vel* perfecta, *quæ nihil illius reliquum facit. Hæc aut est* inutilis, *quæ humorem à noxio diversum trahit: vel noxium quidem irritat, non autem educit. Aut* molesta, *quæ vi quadam noxium elicit humorem. Aut* effrænata, *quæ unà cum peccante humore etiam aliquid utilis, & necessarij, non sine gravibus accidentibus, eripit. Græci eam* ὑπερκάθαρσιν *vocare solent: ut patet ex aphor. 4. s.5. & l.1. Hipp. de nat. hum.*

Π Α Ρ Ε Ρ Γ Α.

I.

Utrum ciborum concoctio noctu, nobis dormientibus, fiat melius, quàm interdiu nobis vigilantibus? A.

II.

Sítne ventriculus hyeme calidior quàm æstate? A.

III.

An clysteres nutritorii dicti corpus verè nutriant? A.

IV.

Num limacum caro hecticis & phthisicis conveniat, uti vulgò creditur? N.

V.

Sítne suilla caro omnium præstantissima? N.

VI.

An quæ concoquuntur semper crassiora fiant? Ita placet Aristoteli l.4. meteor. c.2.

VII.

Utra homini sano nocentior, fames, an crapula, gula, & ingluvies? Fames, sive inedia.

F I N I S.

13

DISPUTATIO
DE
PURGATIONE
SECUNDA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
juniore: Doctore & Professore Medico:

Respondente

M. ADAMO OPALA
Bicinâ-Silesio.

ARGENTORATI
Typis JOANNIS REPPI,
ANNO MDCXX.



MAGNIFICIS, NOBILITATE, AMPLITVDINE, ERVDITIONE, ET EXPErientia Viris Clarissimis.

Dn. JACOBO SCHICFVSIO in Newendorff/ &c. J. C. Producis utriusque Silesiæ, Principis Lignitio-Bregensis Consiliario, & eiusdem Ducalis Consistorii assessori prudentissimo.

Dn. CASPARO BAVHINO, Archiatro, Anatomico, & Botannico Reip. Basileensis celeberrimo, & eiusdem Academiæ Praxeos Professori ordinario, Illmique Ducis Wirtenberg. Medico dignissimo.

Dn. DANIELI RIXINGERO, Philosophiæ & Medicinæ Doctori, Logices & Metaphysices Professori in Almâ Argent. Academiâ acutissimo ac Thomani Collegij ibidem Decano reverendo.

NEC NON

Dn. JOANNI WENCKERO } Reip. Argent. Senatûs assessori integerrimo: huic eidem à re-
Dn. TOBIÆ Städel/ } ditibus repetundis.

VT ET

Reverendis ac Clarissimis Viris.

Dn. CHRISTOPHORO SüSSENBACHIO, Ecclesiæ Bicinensis pastori, & eiusdem tractûs Seniori vigilantissimo, alteri parenti suo pl. colendo.

Dn. JACOBO LYSONIO pastori in Reinersdorff/ affini suo benignissimo.

Mœcenatibus, Patronis, Præceptoribus & fautoribus suis æviternùm observandis,

Hasce de purgationis In dicantibus controversias offert & consecrat

M. Adam Opala. Resp.

PROBLEMA I.



N κακοχυμία verum & genuinum indicans sit purgationis? *Ante problematis decisionem sequentia ponenda videntur fundamenta. I. quòd purgatio sit in numero magnorum generosorumq; præsidiorum: teste Galeno comment. aphor. 29. sect. 2. II. quòd* κακοχυμία *genere quidem sit una: specie autẽ varia & multiplex. Differt enim quantitate, situ, sive loco, & materia. Ratione quantitatis est magna, parva, & mediocris. Ratione situs aut est in publica aliqua corporis regione: prima scil. secunda, vel tertia: aut in privata. Ratione materiei duplex: una mitior, in qua vel superva cui humores, qui vi naturæ à sanguine secreti alendo corpori sunt inutiles: ut pituita ventriculi & intestinorum: bilis vesiculæ felleæ: melancholia lienis: serum vasorum, renum, & vesicæ urinariæ: vel succi in venis consistentes, à sanguine tamen distincti, immodicè sunt accumulati: iiq; aut omnes, aut plures, aut unus tantùm. Altera deterior: in qua rursus vel humores excrementitii, vel succi dicti in insigne aliquod substantiæ, aut temperaturæ vitium sunt prolapsi: quatenus nimirũ sunt putrefacti, aliterve corrupti. III. quòd hîc de artificiosæ purgationis indicante quæratur: & illius quidem non latè & generaliter sumptæ, pro quacunq; undecunq; vitiosorum humorum evacuatione: sed propriè & specialiter, pro excrementitiorum humorum per aluum & vomitum eductione acceptæ.* His præmissis, *dicimus,* κακοχυμίαν *utramq;, mitiorem & deteriorem, si sit magna, effatuq; digna, quæ aliis vacuationum generibus tutò, citò, atq; perfectè eradicari nequit, sive in prima, sive in secunda, sive in tertia publica corporis regione hæreat, ve-*

rum & γνήσιον purgationis indicans esse. Parvam & exiguam, quæ vel diætâ, vel naturæ calorisq; beneficio, vel mitiori aliqua vacuationis specie tolli potest, non item. Magnum quippe præsidium est purgatio. Itaq; à parva leviq; κακοχυμίᾳ indicari nequit. Semper enim inter indicans & indicatum aliqua est proportio: & sicuti magnum indicans magnum indicat remedium: sic parvum parvum. Addimus insuper, neq; κακοχυμίαν in privata aliqua corporis regione, v. g. ventriculis cerebri, cavitatibus aurium, bronchijs pulmonum, cavitate thoracis, capacitate uteri &c. delitescentem, purgationem indicare. Non enim vi catharticorum medicaminum κακοχυμία harum partium elici, & per aluum, aut vomitum extirpari potest: sed vias & ductus habent peculiares, per quos sentina earum educenda: cerebrum palatum & nares: pulmo & thorax asperam arteriam: uterus propriam cervicem.
Cæterùm *quemadmodum κακοχυμίᾳ descripta* in genere *purgationem indicat: ita* in specie *κακοχυμία biliosa purgationem bilis: pituitosa purgationem pituitæ: melancholica purgationem melancholiæ: serosa purgationem seri: mista purgationem mistorum humorum indicat: teste Galeno comment. 47. sect. 6. aphor & comment. aphor. 2. sect. 1. In vacuationibus enim ea semper auffrenda sunt, quæ peccant, quæq; morbos pariunt, aut paritura sunt, nî eximantur: exemplo naturæ, quæ cum utilitate & εὐφορίᾳ ægrotantium ea quandoq; sua sponte expellit, quæ causæ morborum fuerunt: veluti ex aphor. 2. & 25. sect. 1. aphor. 2. & 3. sect. 4. & in specie ex aphor. 14. 17. & 48. sect. 6. & aphor. 29. sect. 7. constat.*
Quod autem *hæc κακοχυμία verum sit purgationis indicãs; I. inde probatur: quia posita κακοχυμία, etiam purgandi statim oritur indicatio: eaq; absente, nihil est, quod purgationem indicet. II. quia in purgationis definitione dictum, eam humorum qualitate molestantium vacuationem esse. At tales κακοχυμίαν constituunt. Denotantur enim per humores qualitate molestantes ἰδέαι, sive species, & formæ humorum à sanguine distinctorum: qui vel in venis,*

nis, vel extra venas consistunt, sanguinemq; inquinant. III. quia quando Galenus purgat, vacuationis, aut revulsionis gratiâ, semper vitium humorum, quod l.3 de san. tuend. c.9. l.4 meth. med. c. 4. l.13. meth. med. c.6. & l. de plenitud. c. ult. κακοχυμίαν *appellat, præsupponit. Ex infinitis locis paucorum meminisse libet. Revulsionis ergò purgat in vulneribus & ulceribus: l.4. meth. med. c.6. In ophthalmia: l.13. meth. med. c.11. & comm. aphor. 17. s.6. & quidem si* κακοχυμία *adsit vel cholerica, vel melancholica, vel pituitosa: l. de oculis part. 6. c.2. In affectibus capitis à vitiosis humoribus ortis: l.13. meth. med. c.11. comm. 2. in l.6. epid. t.9. In capillorum defluvio: l. de purgant. med. fac. cap. ult. Vacuationis verò causâ, ut præsentes affectus curentur: v. g. in ischiade, podagra, & arthritide generatim dicta: l.10. de compos. med.* κ.τόπ. *c.2. In pustulis & exanthematibus cutis: comm. 2. in l.6. epid. t.30. Purgat etiam, ut morbi, in quos homines sunt proclives, præcaveantur. Scribit enim, se quosdam, qui melancholiæ, cancro, elephantiasi, & febri tertianæ erant obnoxij, verno tempore instituta purgatione præservâsse: comment. aphor. 47. sect. 6. Quod ipsum etiam in alijs quibusdam affectionum generibus se præstitisse refert l. de cur. rat. per S.M. c.7. & lib. quos &c. purgare oportet. In summa, ubicunq;* κακοχυμία *se offert, ibi, cæteris paribus, purgandum monet comm. aphor. 47. s.6. l.13. meth. med. c.4. l.6. de tuend. san. c.13. & l. de constit. artis c.19. IV. quia Galenus inquit l.9. meth. med. c.10. quod corruptum est, id alienum à natura esse: quod tale est, id se auferendum dictare. Atqui in* κακοχυμίᾳ *illa, quam ex Fernelio l.2. meth. therap. c.1. deteriorem antea nominavimus, humores sunt corrupti. Ergò dictitant se auferendos. Rectiùs autem & commodiùs auferri non possunt, quàm purgatione, ut disp. 1. probatũ. Est igitur hæc illorum appropriatum remedium: & propterea ijs præsentibus, si virtus permittat, purgandum indicatur. In* κακοχυμίᾳ *verò mitiore, licet supervacui humores insigniter corrupti non sint, quantitate tamen peccant. At omne exuperans vacuandum:*

dum: sic docente Galeno l. de constit. art. c. 19. Vacuari autem dicti humores nulla commodiore ratione queunt, quàm purgatione. Itaq; iis præsentibus purgandum significatur.

II.

Utrum cacochymia primæ regionis, quæ citra jecur est, per se & propriè lenientia tantùm indicet: quæ verò regionis est secundæ, & tertiæ, nempe ultra jecur, primasque vias, propriè dictam purgationem, quæ electivè, ut loquuntur, trahentibus pharmacis perficitur? *Affirmativam quidam defendunt. Quam ob causam, ignoramus. Suspicamur tamen, causam esse: quòd è prima corporis regione viæ in aluũ sint breves, amplæ, atq; expeditæ, per quas cacochymiã inibi hærens facilè expurgari possit, ut verè ac propriè dictis catharticis minimè sit opus. Cum verò ex secunda, multóq; magis ex tertia regione iter sit valdè longum, flexuosum, angustum, atq; difficile, validiora, & cathartica specialiter dicta necessaria videntur, quæ cacochymiam in aluum detrudant.* Verum *etsi libenter concedamus, quòd pro varietate circũmstantiarum medicamenta modò leviora, modò fortiora adhibeantur: minimè tamen admittimus, quòd cacochymia primæ regionis lenientia tantùm, non autem purgantia indicet.* Ratio prima *est: quia unum idemq; indicans utrobiq; ponitur: nempe cacochymia. Itaq; necesse est, ut idem etiam indicatum concedatur, videlicet purgatio. Hanc enim illius indicatum esse suprà probatum fuit.* Secunda: *quia si cacochymia primæ regionis indicat solùm lenientia: secundæ autem & tertiæ purgantia, sequetur, aut unum idemq; indicans duo specie distincta indicata indicare: aut lenientia & purgantia, propriè & specialiter dicta, eadem esse specie: differre tantùm numero & accidentibus. Atqui utrumq; falsum est. Prius quidem: quia cum unius rei una tantùm sit natura: fit, ut unum solùm indicatum indicare possit: authore Galeno l. 9. meth. med. c. 12. Posterius verò: quia lenientia primas duntaxat vias evacuant: idq; hu-*

mectan-

mectando, molliendo, lubricando, abluendo, detergendo, aut moderatè stimulando. Undè & ἐκκοπρωτικὰ, ὑπακτικὰ, κ὎ ὑπαγωγὰ, quòd faeces ex primis sedibus, sine magna corporis perturbatione, viriũve jactura, subducant, appellantur: cuivis aetati, sexui, & morbi tempori, si legitimè usurpentur, accommodata, & salutaria. Purgantia autem virtute peculiari certum ac determinatum aliquẽ humorem è corpore proliciunt: ultraq́; primam corporis regionem penetrant, & penitiores, remotioresq́; partes evacuant: non adeò, ut lenientia, senibus, pueris, gravidis, debilibus, & in quovis morbi tempore tuta. Differunt ergò inter se materiâ, quam vacuant: subjecto, ex quo vacuant: modo, quo vacuant: vi atq; potentiâ, qua pollent. Tertia: *quia tanta quandoq; cacochymia in prima corporis regione consistit, ut neq; clysteribus, neq; suppositorijs, neq; lenientibus medicamentis extirpari possit. Opus ergò verè purgantibus: ut malo nodo malus opponatur cuneus. Memorabilis est Fernelij doctrina de morbis mesenterij & pancreatis: quos omnes penè practici praetermiserunt: cum tamen Fernelius l. 6. pathol. c. 7. affirmet ac profiteatur, se in his plerunq; sedibus, mesenterio scil. ac pancreate, cholerae, melancholiae, diarrhoeae, dysenteriae, cachexiae, atrophiae, languoris, lentarum, errantiumq́; febriũ, latentium deniq; morborum causas animadvertisse, quorum depulsione deploratis salus redderetur. Depellebantur autem procul dubio non lenientibus: sed verè catharticis medicaminibus: ut inter agens & patiens justa esset proportio.* Quarta: *quia prima regio sentina quasi est & cloaca totius corporis, in qua plus cacochymiae reperitur, quàm in reliquis duabus. Itaq; si illa non purgantia; sed tantùm lenientia indicaret: sequeretur, neq; reliquas indicare purgantia.* Dices, *disparem esse rationem. Reliquas enim ab aluo esse distantiores: viasq́; habere angustas & flexuosas. Respondeo; quemadmodum locus non constituit indicans: ita neq; mutat indicatum. Deinde; licet prima regio aluo sit vicinior, viasq́; habeat breves & expeditas: cacochymiae tamen quantitate*

superat

superat secundam & tertiam. Tertiò: quia excrementa continet & crassiora, & viscosiora, & ad motum tardiora. Quid enim crassius humore melancholico, limo & face sanguinis? Quid viscosius glutinosiusq́; pituita, quæ aliquando ita tenaciter parietibus ventriculi & intestinorum adhæret, ut vix ac ne vix quidem abradi queat? Crassitiem quoq; insignem in bile nonnunquam observare licet: & ea potissimùm, quæ in vesicula fellis, cavo hepatis, ductibusq́; mesenterij diutiùs fuit coërcita. Tandem viarum angustia atq; flexuositas æquè se in prima, ac in secunda & tertia regionibus offert. Contemplare modò venas mesenterij, & quæ hepatis perreptant parenchyma, nullus, opinor, de itineris difficultate dubitabis. Quinta: *quia si licet cacochymiam primæ regionis sursum vergentem in homine, qui facilè vomit, per vomitorium vacuare: quidni integrum esset eandem deorsum inclinantem per dejectorium educere: cum vomitio æquè sit purgatio atq; dejectio: & quidem dejectione violentior ac laboriosior? Dictum enim disp. 1. fuit, duas tantùm purgationis specialiter ac propriè sumptæ species esse: vomitionem & dejectionem.* Concludimus *ergò,* κακοχυμίαν *primæ regionis effatu dignam, quæ alijs remediorum generibus eradicari nequit: neq; etiam inedia, aut parcitate victus potest consumi, æquè purgantia, & electivè trahentia indicare, ac eam, quæ est regionis secundæ, aut tertiæ. Hinc videmus, artis proceres purgantia in vitijs hujus regionis ex* κακοχυμίᾳ *natis frequenter præscribere, eaq́; purgantibus feliciter profligare.*

III.

Quibus in affectibus purgandum? *In ijs omnibus, qui à cacochymia problem. 1. descripta originem trahunt. In his enim humores à sanguine distincti aut vitium habent* in substantia, *quatenus putrefacti: aut* in quantitate, *quatenus præter naturam abundant: aut* in qualitate, *quatenus alienas acquisiverunt qualitates: aut* in motu, *quatenus impetuosiùs ad partem*

tem aliquam fluunt. Itaq; in tribus primis vitÿs purgandum vacuationis ergò. In quarto & ultimo revulsionis causâ: sive cacothymia sit pituitosa: sive biliosa: sive melancholica: sive serosa: sive ex his mixta. Ob vitium humorum in substãtia *purgãdum in febribus putridis, continuis, & intermittentibus.* Ob vitium humorum in quantitate *purgandum in ictero utroque: ascite, anasarca, quæ leucophlegmatia dicitur, & melancholia, quæ vitio fit totius corporis.* Ob vitium humorum in qualitate, *quando scil. pravas & peregrinas induerunt qualitates, purgandum in ÿs omnibus affectibus, quorum causa est vel bilis porracea, sive prasina, vitellina, æruginosa, aut* ἰσατώδης, *quæ Isatidis, sive Glasti cœruleum refert colorem: ut in cholera, quadam diarrhœa, & dysenteria: vel pituita vitrea, acida, salsa, aut dulcis: ut in quadam colica: catarrhis salsis &c. vel atrabilis, quæ tùm ex humore melancholico, tum alÿs humoribus adustis & torrefactis generatur: ut in cancro, quadam scabie, lepra, psora, &c:* Ob vitium humorum in motu *purgandum in phrenitide, ulceribus, vulneribus, fracturis, arthritide, &c. Neq; tantùm purgandum in morbis jam præsentibus,* θεραπείας ἕνεκα: *verum etiam brevi futuris,* προφυλάξεως χάριν: *juxta doctrinam Hippocratis, quæ, ut Galenus lib. de cur. rat. per S. M. c. 9. scribit, antevertit. Nam quæ præsentibus jam morbis rectè facimus, melius est, ut incipientibus ipsis, aut jam imminentibus antevertendo faciamus.*

IV.

An non etiam magnitudo morbi purgationis indicans dici possit? *Propriè nequaquam: quoscunq; tandem fumos vendant ÿ, qui magnitudinem morbi venæsectionis & purgationis indicans statuant. Quod ut obtineamus, rationes ex disp. 2. probl. ult. depromemus, & ad purgationem accõmodabimus I. est: quia magnus morbus, quâ magnus, magnum tantùm remedium indicat in genere: non purgationem in specie. II. quia si magnitudo morbi indicans esset purgationis, utiq; in quovis magno mor-*

bo purgare liceret. Posito enim indicante, necessariò etiam indicatum ponendum: quia relata sunt ἅμα τῇ φύσει: *seseq; mutuo ponunt & tollunt. Consequens falsum esse ostendunt magni morbi à sanguine orti, in quibus ratione causæ purgare nefas. III. quia curatorium indicans, nimirum morbus magnus, præservatorium indicaret remedium, scilicet purgationem: quæ per se & primariò ad morbificam causam dirigitur. Consequens iterum absurditate laborat. Unius enim rei una tantùm est natura: ac propterea per unam & simplicem illam naturam unum tantùm indicat remedium: authore Galeno l. 9. meth. med. c. 11. cujus tamen plures esse possunt materiæ. IV. quia omnis magnus morbus à cacochymia proficisceretur: cujus ratione purgatione, tanquam remedio morbificam extirpante causam, opus esset. Consequens veritati repugnare plebeij nôrunt. V. quia aliud esset, quod indicaret purgationem: nempe morbus magnus: & aliud quod curaretur: videlicet causa morbifica. Hæc enim purgatione tollitur: non primariò morbus. Consequens rursus* ἄτοπον *est Galeno l. 3. meth. c. 1. quia sicut quodlibet indicans sui tantùm conservationem indicat, si sit secundum naturam, non alterius: ita quodlibet sui tantùm, non alterius, ablationem indicat, si præter naturam sese habeat: teste Galeno l. 3. meth. med. c. 3.* Verum *de hoc problemate videatur disputatio 18. de v. sect. Ibi enim demonstratum, magnitudinem morbi, simpliciter & absolutè, sine ulla causæ limitatione atque distinctione acceptam, neque venæ sectionis, neq; purgationis indicans esse: simulq; quid ad locum Galeni ex l. 4. meth. med. c. 6. sumptum, qui nobis adversari videtur, responderi debeat, ostensum.*

V.

Num in dysenteria purgare liceat? *Negantem quidam tuentur: quorum opinio sequentibus stabiliri potest rationibus. I. quia purgatio fluxum auget. II. quia intestina, quæ jam antè exulcerata, magis exulcerat: duabus de causis: tùm quia acres mordacesq; humores ad ea deducit: tùm quia ipsa purgantia calida*

sunt

sunt & acria: teste Galeno comm. 4. in l. de vict. acut. t. 7. & l. quos &c. purgare decet. III. quia juxta Galenum l. 13. meth. peccans materia ad locum affectum non trahenda. Afflictæ enim particulæ afflictio adderetur nova. IV. quia ægros doloribus, vigiliis, inedia, crebrisq; dejectionibus debilitatos magis debilitat. V. quia dolores intestinorum & phlegmonem conduplicat, attractis humoribus erodentibus, & phlegmonem excitantibus. VI. quia Hippocrates dicit aphor. 20. sect. 1. quæ judicantur, movenda non esse: sed naturæ committenda. VII. quia veteres purgationis in cura dysenteriæ non meminerunt. Verum nobis affirmativa *placet: sequentibus de causis. I. quia adest cacochymia. Itaq; indicatio datur eam tollendi: siquidem res sit præter naturam. Tolli autem citius, melius, atq; perfectius nequit, quam purgatione. Hæc enim solam noxiam materiam, per se, sensibiliter, sufficienter, & quidem per ea loca, ad quam sua sponte fertur, educit: id quod de nulla alia vacuatione affirmari potest. Nam* venæ sectione *tolli nemo dixerit: quippe quæ cacochymiæ appropriatum remediū non sit.* Diuretica *in progressu quidem mali reliquias evacuare possunt, cùm materia antecedens jam est minorata: cùmq; in vasis consistit majoribus. At in principio, cùm est copiosa: aut in prima regione contenta, parum efficiunt: & quod efficiunt, longo temporis tractu efficiunt: quo misere interim intestina dilaniantur.* Hidrotica, *sive* sudorifera, *minimè probantur. Sudores enim in corpore vitiosis succis referto, quale dysentericorum est, sine prævia purgatione movere, minimè tutum. Transferretur namque materia ad articulos, non sine metu arthriditis, aut alterius alicujus mali, ut testatur experientia. Huc accedit, quòd natura in dysenteria non ad spiracula cutis: sed ad alvum inclinet. Adde quòd via remotior sit, quam ut materia ad intestina fluens trahi possit ad ambitum corporis. Et quis dysentericos, magna ex parte febricitantes, crebrisq; egestionibus, doloribus ventris, inedia, & vigiliis enervatos, fomentis & tegumentis, quibus sudor promovendus,*

magis accenderet, inflammaret, debilitaretq? Inedia *molesta sane vacuatio est, tarda, hùcque impertinens: quia non vitiosos solùm humores: sed etiam utiles & necessarios vacuat. Non etiam satis tuta. Vires enim prosternit: naturis biliosis inimicißima est: succosq acriores calidioresq reddit: teste Galeno l. de v. sect. contra Erasistratum c. 4. & l. 8. meth. c. 2.* Exercitatio *propter fluxum locum non habet. Hunc enim irritaret magis. Aliena hîc etiam ob virium infirmitatem.* Frictionum *vis ad morbificam materiam minimè penetrat: quia ea tantùm dißipant, quæ in habitu corporis continentur.* In balnea *vacuandi causâ nemo sanæ mentis duxerit dysentericos.* Vomitio, *quæ purgationis species est, concedi potest: si scil. æger ad illam sit facilis: si humores sint biliosi: siq vergant sursum. Eam etiam concedit Hippocr. l. 3. de diæt. & lib. de affectionibus. Et aphor. 15. sect. 6. inquit, vomitum spontè supervenientem longum alvi profluvium (sub quo etiã comprehendi potest dysenteria) finire. Galenus in commento ait, vomitum illum esse exemplum eorum, quæ rectè à naturâ fiunt, quod Medicum imitari oportet. Utilem enim vomitum illum esse propterea, quòd humores, qui deorsum vergebant, revellat atq retrahat. II. quia Hippocrates ait sect. 1. aphor. 21. quæ educere decet, quò maximè vergere videbuntur, ducenda esse: viis ac locis utiliter eò ferentibus. At in dysenteria educere cõvenit humores acres & exulcerantes. Itaq cum ad intestina vergant, per illa educendi. Sunt enim intestina* συμφέροντα χωρία: *& quasi cloaca, per quam aliâs totum corpus se exonerare consuevit. Constat ergò purgandum hoc in affectu esse: neq obsecundãdum imperitorum vocibus, qui nil nisi adstringentia, fluxumq cohibentia sonant. Nam quid obsecro fluxum statim compescere juvat, cum ipsam naturam, cujus imitator & adiutor esse Medicus tenetur, vitiosos humores expellere, adeoq hostes sibi infestißimos profligare videamus? Experientia sanè docet, dysentericos, quibus præproperè fluxus sedatur, in gravißima incidere symptomata Cujus rei artis nostræ dictatores testes habemus locupletißimos.* Galenus *n. scribit lib. de ven. sect. advers. Erasistratum c. 6. non paucos se vidisse, qui dysenteria, vari-*

varicibus, & hæmorhidibus ob imperitiam Medicorum immaturè, ac præproperè cohibitis, aut atra bile, aut insania fuerint vexati: aliqui verò eorum tùm pleuritide, tùm nephritide correpti: nonnulli vomitione sanguinis, hæmoptoe, apoplexia, & hydrope extincti. Hippocrates. *in Coacis prænotionib. refert, dysenteria intempestivè suppressa, abscessum in costis, aut visceribus, aut in articulis fieri. Biliosũ quidem in articulis: sanguineum autem in costis & visceribus.* Hollerius *in schol. cap. 43. l. 1. de morb. intern. narrat, se fluxu dysenterico citò nimis sedato quendam insanum factum vidisse. Idem pictorem quendam in fœdam devenisse scabiem lepræ similem memorat. Et mulierem novit, cui post dysenteriam festinanter nimis coercitam ita alvus constricta fuit perpetuò, ut tantùm septimo quoq; die excerneret: indeq; ore naribusq; graviter oleret. Alios eandem ob causam in epilepsiam lapsos dicit.* Fernelius *memorabile puellæ cujusdam septennis exemplum recenset. Illi enim cum propter diarrhœam quandam diacydoniatũ larga fuisset manu exhibitum, ita repressa est alvus, ut nihil omninò reddiderit: sed excitatis sævissimis ventris torsionibus usq; eò intumuerit, ut derepentè hydropica evasisse putaretur. Quas licet accitus Medicus partim clysteribus tollere: partim fomentis lenire studuerit: ita tamen illæ invaluerunt, ut cum crebris animi deliquiis, & liquidioris tandem stercoris vomitione intra biduum miserabiliter sit extincta. Historiam, qui volet, legat totam lib. 6. pathol. c. 9.* In usu tamen *purgantium duo hîc notanda. Primum, ut purgantia in principio statim offerantur. Sic enim vires, quæ adhuc validæ, faciliùs ea ferent: & natura arte adjuta colluviem humorum citiùs expellet: ne moram trahendo diuturniorem intestina dilacerent. Deinde, ut ea purganttia quàm maximè videntur quæ vehementer purgant: cuiusmodi sunt, quæ scamononium, colocynthida, helleborum. &c: recipiunt. Nam & ipsa intestina corrodunt: & materiam morbificam ad intestina violenter præcipitant: & ejusmodi fluxum causantur, qui non solùm vires deijcit atq; prosternit: verum etiam difficulter sisti potest. Contrà eligenda ea, quæ purgant leniter, & aliqua adstringendi roborandiq; facultate pollent: ut sunt Rhabarbarum, Myrobalani, Ta-*

marindi: syr. ros. solut. simpl. syr. de Rhabarb. sol: syr. de cichor. cum Rhabarb. & similia alia.

VI.

Quid ad argumenta pro negante allata respondendum? Ad primum *dicimus, purgantia fluxum quidem in operationis actu augere: per accidens autem, & post operationem illum compescere: quia affluentem materiam tollunt. Fluxum etiã non facere enormem: cum enormia & violenta nõ sint ipsa: sed, uti cõprehensum, mitia, benigna, & quadam adstrictoria virtute prædita. Hoc insuper utilitatis novo illo fluxu, quem excitant, adferre, ut cum materiam, quæ aliâs sensim paulatimq; exit, festinè, & in copia educant, affectum abbrevient; intestina à graviore exulceratione vindicent: ipsumque decumbentem maturè à torminibus & vigilijs liberent.* Ad secundum. *Tantum abest, ut intestina magis exulcerent, ut etiam illa ab ulteriore exulceratione præservent. Ratio est, quoniam causam quidem exulcerationis attrahũt: verũ in intestinis minimè detinẽt: sed statim extrudũt. Neq; ipsa etiam cathartica ex se interanea corrodunt: quia jam dictum, non acria & violenta: sed benigna, mitia, & mediocria adhiberi.* Ad tertium. *Axioma therapeuticum non simpliciter & absolutè, prout τὸ ῥητὸν sonat; sed cum limitatione accipiendum. Peccans materia nunquam ad locum laborantem trahenda, si commodiùs expeditiùsq; per vias alias evacuari possit. At qui humores acres & erodentes commodiùs expeditiùsq; evacuari nequeunt, quàm per intestina: ut ex problemate præcedente patet. Itaq; in casu extraordinario & necessitatis per illa expurgandi. Deinde: peccans materia ad eiusmodi partem affectam nunquã trahenda; quæ ita formata, ut exitum habere liberum & expeditum nequeat: sed in ea manere cogatur. Ratio posita est in obiectione. Afflictam namque partem magis affligit, malumq; conduplicat. At si pars affecta ita sit disposita, ut emissarium habeat patentissimum, per quod attracta materia citò educi possit: sitq; à natura aliâs sordium & excrementorum vacuationi destinata: ut intestinum: contra artis præscriptum nõ est, si ad eam materia morbifica ducatur: præsertim quando viam & locum convenientiorem non reperimus, per*

quem illam extirpare queamus. Ad quartum. *Non est, quod magnam virium debilitationem expurgantium usu metuamus. Fortiter enim purgantibus uti nefas. Neq; integrum, purgantia procrastinare. Sed æquum, ut in principio statim fluxus, quo vires adhuc constant, offerãtur.* Ad quintum. *Ratio allata ponderis aliquid momentiq; haberet, si attracti humores diu in intestinis morarentur. Verum cum expellantur ocyus, nil inde mali formidari debet.* Ad sextum. *Hippocrates aphor. 20. sect. 1. loquitur de* κρίσει: *quæ, ut Galenus comm. aph. 13. sect. 2. docet, fit in morbis. Est enim, eodem ibidem authore, subita* in morbo *vel ad sanitatẽ, vel ad mortem mutatio: fitq; à natura separante mala à bonis, & ad excernendum præparante. Aut, ut idem comment. aphor. 23. sect. 2. ex lib. 1. epidem. sect. 3. tradit, repentina in morbis vel ad sanitatem, vel ad mortẽ, vel ad melius, vel ad deterius mutatio. Et loquitur de* κρίσει ἀρτίως, *integrè: seu, ut lib. de humoribus habet,* ἀπαρτὶ, *perfectè, plenè, indeficienterq;, fiente & facta: in qua, sicut Galenus in comment. monet, cuncta benè procedunt: & cui nullus numerus deest criticus: h. e: quæ 1. fit per excretionem inferiorem: 2. per quam noxius & redundans humor excernitur: 3. quæ fit* κατ' ἴξιν, *recto tramite: 4. quæ facilè toleratur: 5. quæ instituitur prægresso* πεπασμῷ: *6. quæ die critico excitatur. In hac enim* κρίσει *nihil vult moveri, nihilq; novari: sed ab omni medicatione cessari: totumque negotium naturæ benè laudabiliterq; operanti committi. At verò primigenia dysenteria, quæ hominem nulla prius afflictum ægritudine adoritur, de qua potissimùm hîc quæritur, nulla fit cum* κρίσει: *quemadmodum ex requisitis veræ & perfectæ* κρίσεως *facilè probari potest. Neq; excretio in ea fit subitò & confertim: sed paulatim & pedetentim. Itaque catharticis promovenda: ut æger eò citiùs à torminibus, vigiliis, aliisq; symptomatibus liberetur. Imò si maximè criticè fieret: haud tamen esset à ratione alienum, si arte juvaretur. Hæc enim non tantùm naturæ est spectatrix, cum iudicat perfectè: verum etiam adjutrix: quando vel debilitata, vel impedita munus suum insufficienter obit. Nam quæ in morbis post crisin relinquuntur, recidivos facere morbos consueverunt, inquit Hippocra-*

tes

tes, aphor.12.sect. 2. Ad Septimum. *Negamus, omnes veteres purgantes omisisse medicinas. Nam* Dioscorides *l.3.c.* 1. *dysentericis agaricum commendat.* Avicenna *l.3.Canon.fen.16.tract.2.c.7.myrrobalanos celebrat: nostraque sententiæ planè patrocinatur. Sic enim de hac quæstione scribit. Si fuerit necessaria vacuatio propter malitiam affluentis humoris, fac eam cum timore & cautela. Et stude, ut solutivum sit eiusmodi, quod ulceri non multùm nocere possit. Imò sit sicut myrrobalani. Et rectifica ipsum cum tragacantho, & quæ huic sunt similia.* Author *libri secundi de dynamicijs, qui Galeno ascribitur, cap. de catharticis, longum recensens morborum catalogum docet, etiam in profluviis alvi purgantibus utendum esse. Aliquando, inquit, acer & inutilis humor insidet membranis ventris aut intestinorũ, perinde ut acria suppositoria, acriaque clysteria stimulans intestina, & ad desidendum irritās. Vbi enim acredo est, ibi attrahitur humor à membris in circuitu, vel à toto corpore. In his verò dignum est, uti catharticis, ut talis humor expellatur à toto corpore: & venter ac intestina mundificentur. Reliqui* prisci Medicinæ ante signani, *etsi nullam explicitam purgantium mentionem faciant: meminêre tamen eorum, quæ abstergunt & abluunt: qualia sunt serum lactis, ptissana, lac ipsum. Et inter lactis genera potissimùm caprillum, atque asininum, quod valdè serosum & abstersorium. Ponunt etiam detersoria enemata. Galenus sanè in Isagogico cap. 13. abluentium meminit expressè. Respicit enim ad causam, quam eluere conatur. At lib.9. de compos. med. κ. τόπ. c.5. adstringentium tantùm & narcoticorum memor est: quia solùm fluxus, qui vires debilitat, rationem habet. Neotrici insigniores, inter quos Valescus, Gordonius, Gatinaria, Sauanorola, Guainerius, Sylvius, Hollerius, Rondeletius, Montuus, Mercurialis, Capiuacceus, alij, ambo admittunt: et præter hæc unanimi consensu purgantia quoque suprà descripta, solo Massaria excepto, probant.*

ΠΑΡΕΡΓΑ

I. Vtra febris sit acutior & periculosior, synochus putrida, an *καῦσος*? Καῦσος.

II. Cum appetitus animalis tàm potus, quàm cibi sedes sit orificium ventriculi sinistrum, quæritur, an rectè Aristoteles l. 3. part. anim. c.8. pulmonem sanguineum & præcalidum; Galenus in *μικροτέχν.* c 64. & hunc & cor sitis causam statuerit? A.

III. Sitnè perpetuum illud, quod Hippocrates monet aphor. 11. & 10. sect. 1. nempe à cibatione in paroxysmis abstinendum esse? N.

IV. Genereturne pullus ex vitello, & nutriatur albumine? uti volebat Hipp. l. de Nat. pueri: an contrà nascatur ex albumine, & alatur vitello: velut Aristoteli l. 6. de hist. an. c. 3. placet? Ex utroque ali: ex neutro gigni dicimus.

FINIS

14

DISPUTATIO DE PURGATIONE TERTIA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO Juniore: Doctore & Professore Medico:

Respondente

ELIA GEISELBRUNNERO Augustano.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXX.



NOBILITATE, PRUDENTIA, AUTHORITATE, longoq; rerum usu præstantissimis Viris,

DN. JOANNI Ulstatt/ Patritio Augustano: Mecœnati & Patrono suo sanctè honorando & observando:


DN. MATTHÆO Rauwolff Juniori, Mercatori apud Augustanos primario: Cognato & Fautori parentis loco venerando,

Hæc de purgatione ζητήματα

In animi observantis atq; grati τεκμήρι

Dicat atq; consecrat

Elias Geiselbrunner, Res



PROBLEMA I.



N in colica purgandum? *Probabilis videri posset negativa. I. quia in colica alvus est astricta: & quidem interdum usq; adeò, ut ne quidem flatus erumpere possit. Itaq; si pharmacum sumeretur, humores attraherentur ad intestina: qui cum exitum non habeant, colicum dolorem conduplicarent. II. quia in colica affectum est intestinum colon. Atqui ad sedem affectam vitiosa materia minimè trahenda. III. quia author Isagogici c.13. inquit, voluulum & colicam inflammationem esse intestini. Illum quidem tenuis: hanc verò crassi. Sed in inflammatione ventriculi & intestinorum à purgatione abstinendum monet Galenus l.13. meth. med. cap.11. IV. quia clysteribus curandum videatur, non catharticis. Dolor enim in crassis: non in tenuibus hæret intestinis. Hinc Galenus quoq; clysteribus in colica usus legitur, l.2. de loc. affect. c.5. l.6. de loc. affect. c.2. & in Isagog. c 13. Intestina namq; ventriculo proxima supernè exhibitis: haud multùm verò à sede distantia infernè injectis medicaminibus promptiùs adjuvantur: sic eodem Galeno l.1. de loc. aff. c.4. docente. V. quia Galenus l.9. de compos. med. κ.τόπ. c.4. varia remediorum genera contra colicam proponit: neq; tamen ullius purgationis meminit. VI. quia si purgatione opus esset, vomitoria potiùs, quàm dejectoria pharmaca offerenda forent. Ratio est: quia Galenus l.6. de loc. affect. c.2. scribit, & nauseam, & vomitiones urgere in colica: & longè quidem graviores frequentioresq;, quàm in nephritide: ægrosq; pituitosa quædam, atq; corrupta evomere. At quæ educere oportet, quò maximè vergere videbuntur, ducenda præcipit Hippocrates aphor.21. sect.1.*

Verum *hæ quidem rationes tanti ponderis non sunt, ut purgantium usum in colica dissuadere valeant. Primùm ergò nostram sententiam proponemus. Deinde illam confirmabimus. Tùm objectiones allatas solvemus. Statuimus autem colicam pro varietate causarum variam: nimirum flatulentam: pituitosam: biliosam: & inflammatoriam: hasq́ causas etiam apud Galenum reperimus: nempe lib.1. de loc. affect. c.4. l.2. de loc. affect. c.5. l.6. de loc. affect. c.2: lib.12. meth. med. c.7. & in Isagogic. c.13.* In flatulenta, *quæ ex dolore ventrem distendente, vago, instabili, in variasq́ ventris sedes se contorquente, sæpèq́ obmurmurante, & causis flatuum effectricibus prægressis, v.g. musto, castaneis, fabis, pisis, lentibus, porro, cepis, &c cognoscitur, purgatio quidem necessaria non videtur: sed sufficiunt remedia calorifica, flatusq́ discutientia, tùm foris, tùm intus exhibita: aut enemata emollientia; si propter obstructionem à duris resiccatisq́ fæcibus, gypseave pituita, flatus erumpere nequeant.* In pituitosa *verò, si clysteres attenuantes, incidentes, detergentesq́ nil proficiunt, vijs infrà apertis, ad purgantia tandem deveniendum. Nam cum* κακοχυμία *effatu digna, quæ alijs præsidiorum generibus minimè cedit, in ea se offerat, quis dubitat, indicatum ipsius, purgationem, indicari? Est verò, ut hoc* παρέργως *addamus, pituita colicam efficiens duplex: altera crassa lentaq́: altera vitrea à Praxagora appellata: quòd fuso vitro tùm colore, tùm substantiâ haud sit absimilis. Naturâ frigidissima: ut partim illi, qui eam excernunt: partim qui eam, simul ac excreta est, attingunt, sentiunt: authore Galeno l.2. de loc. affect. c.5. Adhærescit autem non modò intestino colo: sed & ipsum corradit, dilacerat, atque in id plerunq́ perforantis terebelli more se infigit. Unde dolor oritur fixus, altèq́ excrucians: qui neq́ vomitione pituitæ: neq́ emissione ructuum, aut flatuum demulcetur: habuitq́ originem à crapula & otio, quæ cruditatem, crassumq́ humorem progignunt. Ejusmodi dolorem perpessum se Galenus scribit l.2. de loc. affect. c.5. ut pu-*

ut putârit, ventrem sibi terebro perforari: in eo potissimùm spatio, per quod ureteres à renibus ad vesicam extenduntur: certoq́ habuerit persuasum, calculum in alterum ureterum impactum esse. Sed injecto oleo rutaceo, vitreum humorem paulò pòst acerbissimo cum dolore excernebat: quo facto, dolor sedabatur: certòq́ constabat, neq; calculum fuisse causam: neq; ureteras, aut renes laborâsse: sed aliquod ex intestinis: & quidem præcipuè crassum. In biliosa, *quæ itidem, ut pituitosa, fixa: sed ferè cum febricula, ardore, siti, & vigiliis conjuncta: orta etiam ab esculentis potulentisq́ calidioribus, à quibus etiam irritatur; non minus, atq; in pituitosa, purgandum censemus: idq́ ob eandem causam: indicantis scilicet præsentiam. Atq; hæc quoq; ipsius Galeni est sententia, quam lib. 1. de locis affect. c. 4. experientiâ, feliciq́ curationis successu confirmat. Testatur enim, se quosdam, qui ex acris mortacisq́ humoris defluxu ad intestini tunicas in colicum dolorem inciderant, propinata hiera picra sanâsse. Quod autem biliosa fuerit colica, quæ hujus pharmaci usu conquieverit, Galenus ibidem ex juvantibus, lædentibus, & doloris qualitate probat. Quidam, inquit, sic laborans, à calidis tùm cibis, tùm medicamentis, atq; ab omni calorifica victus ratione pejus habebat: noxiam insuper sibi inediam esse sentiebat: contrà ab alimentis boni succi, &* καλλικεράστικοῖς, *temperantibus: nec non ab hieræ picræ sumptione juvabatur: deq́ mordaci doloris specie conquerebatur. Quam historiam idem lib. 12. meth. med. c. 7. sed pluribus additis circumstantiis: descriptione scilicet ætatis decumbentis: expositione sexus: enumeratione pharmacorum, à quibus lædebatur: significatione durationis ægritudinis, antequam Galeni usus esset consilio: & declaratione numeri dierum, intra quos à Galeno pristinæ sanitati restitutus, repetit: sancteq́ affirmat, se hominem nutrimento, quod non facilè corrumperetur: & hiera per intervalla exhibita, acribusq́ & erodentibus humoribus moderatè expurgatis, perfectè curâsse. Semel enim se, justè eum purgare non*

potuisse: quòd doloribus, & inediâ duobus jam mensibus confectus esset. In inflammatoria, *quæ ex febri, fervore intestinorum, dolore fixo & stabili, siti, vigiliis, retentione urinæ, nausea, & vomitione bilis &c: cognoscitur, secus se res habere videtur. Non enim purgatione: sed revulsione per venæsectionem, & repercussione per injecta atq; foris applicita in principio: discussione in progressu, siquidem inflammatio insensibiliter discuti possit: sin ad suppurationem tendat, maturatione, partim per linimenta, fomenta, emplastra, & cataplasmata extrinsecus imposita: partim per enemata alvo infusa: tandemq; abscessu rupto, ulcereq; relicto, detersione puris & sordium per ea, quæ ore sumuntur, & infrà injiciuntur, opus. Nisi fortè impura ac composita, sive: sed notha & spuria sit phlegmone: ædematosa scilicet, aut erysipelatodes; aut pura quidem, sed cum* κακοχυμίᾳ *conjuncta: cui purgatione succurrendam.* Hisce colici cruciatus causis, *neoterici etiam* vermes *addunt: qui vel purgando, mordendove: vel, si plurimi sint, intestina obstruendo, dolorem inferunt. Nam intestinis obstructis, fit, ut flatus, quibus, qui vermibus laborant, ob copiam pituitæ, ex qua potissimùm vermes tùm generantur, tùm fouentur, abundant, præter naturam detineantur diutiùs: qui detenti intestina vi distendunt atq; divellunt: magno certè & immani cruciatu, magnoq; doloris sensu. Sed & hoc in casu purgatio locum habet: sive ad causam vermium, sive ad ipsos vermes oculorum aciem convertamus. Causa namq; vermium utplurimùm pituita est; eaq; aut ex frigidis humidisq; alimentis, quæ facilè putrescunt; aut ex voracitate & crapula genita. At si hæc usq; adeò sit copiosa, ut neq; caloris beneficio consumi: neq; cibi parcitate tolli: neq; exercitatione corporis discuti possit: quis non videt, purgantium ministerium requiri? Vermes verò ipsi nulla re citiùs faciliusq; necantur, atq; expelluntur, quàm medicamentis purgantibus. In cujus rei fidem miram possemus efficaciam aloës, rhabarbari, colocynthidos, & quarundam compositionum*

hæc

hæc purgantia, tanquam bases, recipientium, in necandis exturbandisq; vermibus, ex Marcello Donato, Remberto Dodonæo, & Benivenio narrare. Sed quia hac de re disput. 2. de vermibus à nobis ex professo actum: hoc labore jam supersedemus: & ad argumenta pro negativa militantia respondemus ordine. Ad primum *dicimus, nos non statim purgantia in colica præscribere: nedum validiora illa, quæ magna vi humores à distantioribus sedibus in copia ad intestina præcipitant, admittere. Hoc enim si faceremus, dubium utiq; nō esset, quin aucturi essemus dolores: idque ob causam in objectione allatam. Sed clysteribus priùs, ijsque levioribus: postea hisce nil proficientibus, fortiorib. uti: tandemq;, si malum contumaciter perseveret, patefactis vijs, ad cathartica accedere: quæ tantum abest ut cruciatus conduplicent, ut etiam causâ expulsâ illos deleant.* Ad secundum. *Solutio patet ex problem. 6. disp. 2. ubi* στοιχεῖον θεραπευτικὸν, *quòd per affectam sedem purgandum non sit, limitatum.* Ad tertium. *In colica inflammatoria ne ipsi quidem ad purgantes medicinas temerè accedimus: uti paulò antè expositum.* Ad quartum. *Enemata & purgantia contraria non sunt: sed tantùm diversa, sive disparata. Ideoq; adhibitis enematibus, non excluduntur purgantia: & vice versâ. Unde Galenus utrisq; usus est: quemadmodum ex suprà dictis apparet. Quod si conceditur, sicuti concedendum necessariò est, etiam purgantes clysteres in colica valere: jam obtinuimus, quod volumus: nempe fas esse, ut purgantia in ea usurpentur. Non enim tàm de modo applicandi, quàm de materia remedij, quæ applicanda, quæritur. Et hisce in disputationibus de purgatione agitur, qua vitiosi humores, ministerio purgantium pharmacorum, per anum aut os vacuantur: quocunq; tandem modo illa adhibeantur: hoc est, sive sumantur ore: sive infundantur in anum: sive imo ventri, aut ventriculo saltem, umbilicove admoveantur: uti partim ex problem. 1. partim ex ultimo disput. 1. constat.* Di ces: *Galenum velle, ut afflictis intestinis crassis,*

ex quo-

ex quorum numero Colon est, per inferius injecta medeamur. Respondemus, Galenum respicere ad causam proximam & immediatam. Ad hanc enim quæ per anum immittuntur medicamina, integris viribus perveniunt: eamq; faciliùs, quàm alia, vel alterare, vel vacuare queunt: idq; ob viæ brevitatem & amplitudinem. At ratione causæ antecedentis, quæ aliunde ad intestina fluit, uti accidit in colica biliosa, absurdi nil est, si per ore assumpta medicatio instituatur. Sic namq; causa utraq;, antecedens & continens, aufertur. Ad quintum. *Galenus institutum l. 9. de compos. med.* κατὰ τόπ. *c. 4. non est, perfectam atq; absolutum colicæ curam tradere: sed varia solùm, eaq; selectiora, & longo usu probata pharmaca, ex Philonis, Andromachi, & Asclepiadis myrotheciis proponere, colicos cruciatus mitigantia. Itaq; non mirum, purgantium, quæ causam colicæ respiciunt, non meminisse. Plerunq; enim adeò in colica dolores urgent, ut causa aliquandiu posthabita ipsis obviam ire cogamur: idq; eò magis, cùm etiam vires sunt prostratæ. Quisquis autem methodicam curam dolorum, & consequutivè etiam colicorum, à quacunq; causa oriantur, nôsse avet, cap. 7. & 8. lib. 12. meth. med. legat.* Ad sextum. *Distinguendum inter motus criticos, & symptomaticos. Illi secundum Hippocratem aphor. 2. sect. 4. juvandi, si fiant imperfectè: hi non item. Non enim talia educunt, qualia educere oportet: neq; ægrotantem alleviant: sed viribus tantùm exhauriunt. At vomitiones, quæ colica laborantes exercent, symptomaticæ sunt: fiuntque ventriculo in consensum tracto: idq; tribus de causis: I. propter continuitatis communitatem: teste Galeno l. 2. de loc. affect. c. 5. Omnia siquidem intestina, ait idem l. 6. de loc. affect. c. 2. à ventriculo ordine quodam descendunt. II. propter coli vicinitatem. Hoc enim ventriculi fundo est annexum: ut docet anatome. III. propter generis, sive substantiæ affinitatem. Quam enim similitudinem substantiæ ratione spinalis medulla habet cùm cerebro: eandem intestina habent cum ventriculo. Et sicut illa cerebri causa*

est, atq;

est, atq; appendix: sic hæc cauda & appendices recte ventriculi dici possunt. Itaq; non mirum, si intestinis eum in modum afflictis, ut, quemadmodum Galenus l.2. de loc. affect. c.5. scribit, alij quasi terebro ventrem sibi perforari clamitent: alij de infixo sibi palo conquerantur, ventriculus in συμπάθειαν *rapiatur.* Τὰ γὰρ ἐγγὺς, *inquit divinus senex lib.* περὶ χυμῶν, καὶ κοινὰ ἐν τοῖσι παθήμασι πρῶτα καὶ μάλιστα κακοῦται: *hoc est, quæ sunt vicina, quæq; communia, illa primùm maximèq; in ægritudinibus affici solent.* Concludimus *ergò: cathartica non in cujusvis colicæ cura exulare debere.* Θέσεως *nostræ approbatores præter Galenum viros habemus gravissimos, & in artis operibus exercitatissimos; Avicennam l.3. can. fen. 16. tr. 4. c. 1. 2. & 4. Damascenum l.5 c. 32. Paulum l.3. c. 43. & ex neotericis Valescum, Gattinariam, Gordoniũ, Hollerium, Rondeletium, Sylvium, Capivacceum, & Mercurialem: qui omnes in pituitosa & biliosa colica purgandum censent. In pituitosa quidem primùm fæcibus per emollientia enemata eductis: deinde materia incisa, attenuata, atq; detersa: tum per clysmata minorata. In biliosa verò Mercurialis nulla præmissa præparatione purgat: tribus de causis. I. quia bilis, si sit acris & mordax, qualis est æruginosa, intestina corrodit. II. quia ad vacuationem prona est atq; proclivis. Est enim tenuis, suaq; acrimonia intestina ad excretionem irritat. III. quia admodum dolorifica. Unde affluxus metuitur humorum: qui phlegmonem in intestinis parere potest.*

II.

Sitne purgandum in peste? *De* προφυλάξει *si rogetur, nullum dubium, quin purgatio locum inveniat in corporibus* κακοχύμοις. *Consistit enim illa secundum Cratonem in purificatione corporis: confortatione cordis: & vitatione aëris infecti: aut, si vitari certis de causis nequeat, illius saltem correctione. Vel, ut Mercurialis docet, in amputatione causæ agentis, & sublatione aptitudinis corporis patientis. Atqui & impuritas corporis homi-*

nem ad suscipiendam pestem disponere dicitur. Quanquam quid unumquodq; corpus pestilentiæ reddat obnoxium, certò explicari nequeat. In quamvis enim corporis dispositionem, quamvis complexionem, quemvis sexum, quamvis ætatem tyrannidem suam exercet. De θεραπείᾳ *verò si quæratur, discordant authores: aliis eam in principio statim pestis consulentibus: summè ab illa dehortantibus aliis.* Qui purgationem *suadent, veterum quorundam authoritate, Avicennæ, Avenzoaris, Pauli, Rufi, nituntur: hasq; rationes producunt in medium. I. quia adsunt humores venenati; qui nisi festinanter expurgentur, cor occupant, hominemq; è medio tollunt. II. quia si turgens materia vacuanda, quòd huc atq; illuc lata nesciatur, quò decubitura sit: periculumq; immineat, ne fortè ad partem nobilem ruat: multò sanè magis tollenda ea est, quæ & venenata est, & nobilissimum vitæ principium, cor, jam obsidet.* At nos *in illorum imus sententiam, qui in pestis curâ purgantia missa faciunt, seqq. de causis. I. quia pestis causa occulta est, & venenata: naribus, ore, reliquique corporis extremitatibus inspirata: non à vitio humorum vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in motu dependens. Itaq; purgantibus pharmacis minimè debellatur. II. quia naturæ motum contra aphor. 21. sect. 1. impediunt. Hæc enim venenum foràs protrudere, & in ambitũ corporis; inprimis verò ad illius emunctoria, glandulas pone aures, parotidas appellatas, axillares, & inguinales expellere satagit. At purgantia humores ad interiora, venas nimirum revocant: unde & sanguinea massa, inibi consistens, inficitur: & venenum facilè cordi cõmunicatur. III. quia naturæ exemplo maligni pestilentesq; humores ad distantissimas, maximèq; remotas partes à corde, quod semper petunt, atq; mirum in modum affligunt, protrudendi. Atqui purgantibus, quæ, uti modò dictum, humores ad interna in venas ducunt, hoc minimè præstatur. IV. quia purgantia vires, quæ aliâs in peste à venenata materia oppugnantur validissimè, infringunt, spiritusque dissol-*

dissolvunt atq; dissipant. Atqui hæ omni cura & studio, ut in alys ægritudinum generibus: ita vel inprimis in venenatis sartæ tectæ servandæ. Hæ namq; sunt, quæ cum veneno pugnant: in his omnis spes evasionis consistit: his vigentibus, & venenum superantibus, spes salutis elucet: languentibus autem & succumbentibus, nihil boni sperare licet: quantumvis generosa adhibeantur alexipharmaca. Et sanè si uspiam illud Galeni l 9. meth: med. c. 10. & 13. verum est, quod vires servare, nil sit aliud, quàm vitam ipsam servare: in pestis mehercule cura verissimum est. V. quia in pestis curatione eò omnia consilia & actiones Medici dirigendæ, ut cordi robur addatur, & vis malefica inspirati veneni frangatur. Sed hoc alexipharmaca & alexiteria faciunt: pleraq; autem cathartica malignis prædita sunt qualitatibus: quibus & cor debilitant: & malitiam veneni promovent. VI. quia usus & experientia docet, humores pestilentiæ inquinamentis labefactatos suoptè impetu ad intestina ruere multoties: & lethales sæpè diarrhœas atq; dysenterias excitare. Id quod etiam in morbillis & variolis, quæ tamen malignitatis ratione cum pestifera lue neutiquam comparari queunt, experimur. Quam ob causam practici peritiores in purgando admodum parci esse consueverunt. VII. quia præstantissimi artis magistri, Palmarius, Sarracenus, Forestus, Paræus, aly, scribunt, paucissimos, quibus sanguis erat detractus, corpusque purgatum, evasisse: plurimos contrà sanitatem recuperâsse, qui alexipharmacis tantùm usi fuerunt. Videant ergò, secumq; etiam atq; etiam perpendant, quàm egregiè peste correptorum incolumitati consulant, qui nescio qua insania capti, intra spatium 24. horarum, & venam secant: & purgans offerunt: & sudorem movent. Properandum equidem, haustumq; venenum haud cunctanter expellendum nos ipsi profitemur. At neq; venæsectione: ut disput. 15. problem. 2. planum fecimus: neq; purgatione: quemadmodum rationibus jam allatis demonstravimus: sed hidroticis, sudorem moventibus: velut omnes penè medendi artifices docent:

& ratio suadet. Cum enim pestiferum virus unà cum aëre sit inspiratum: rectissimè iterum cum aëre expellitur: cumq; cor inprimis infestet, utilissimè ad externas ablegatur partes; quæ & ignobiles sunt; & à corde admodum dissitæ; & emunctoria habent, in quæ nobiliores sese exonerare solent; & cute, quæ undiq; crebris foraminibus est pervia, tectæ, ita ut sufficientissimè, citissimè, facilimèq; evacuari virus possit. Interim vomitoria leviora neutiquam aspernamur: si pestis hominem stomacho cibis referto, invasit. Vacuum enim hunc esse decet: ut ἰδρωτικὰ feliciùs operentur. Neq; suppositoria, & enemata emollientia, facesq; exturbantia flocci pendimus, si alvus adstricta fuit. Nec deniq; cordialia, vesicatoria, scarificationes, & cucurbitulas despicatui habemus. Illa siquidem ad debellandum virus, & cor confortandum: hæ ad virus extrahendum, si à natura ad externam aliquam partem propellatur, maximè necessaria arbitramur.

III.

Utrum inflammationibus viscerum purgatio conveniat? *Negantem defendere videtur Hippocrates lib. de vict. rat. in acut. inquiens: quicunq; ea, quæ inflammantur, statim inter initia morborum φαρμάκῳ, hoc est, cathartico medicamine solvere conantur, ij non solùm ab intensa inflammataq; parte nihil adimunt, cum non cedat obsequaturq;, quæ adhuc cruda est affectio: verum etiam ea, quæ morbo resistunt, & sana sunt, absumunt ac colliquant. Ubi autem corpus fit debile, morbus prævalet. Vbi hic prævaluerit, remedium non habet.* Huic *Hippocratis* rationi *addi potest illa Galeni, quæ habetur comment. aphor. 24. s. 1. quia non parvum periculum est in morbis acutis (in quorum albo Hippocr. l. de aër. aq. & loc nec non lib. de vict. acut. non longè à principio, inflammationes, v. g. pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem &c. reponit) temerè purgante medicamento uti. Omnia enim purgantia potestate calida sunt & sicca. Atqui*

hæc

hac febribus, quæ inflammationum, acutorumq; morborum juxta Hippocrat. loc. alleg. & Galen. l. 3. de diff. respir. c. 9 & comm. aph. 19. s. 2. & comment. aphor. 1. s. 7. & l. 3. de dieb. decret. c. 13 comites sunt, repugnant. Febres enim inquit Galen. commen aphor. 24. sect. 1. sui ratione humectantibus & refrigerantibus egent. Rationem adfert comment aphor. 16. s. 1. quoniam sunt passiones calidæ & siccæ. Est enim febris, ait idem ibid. nativæ caliditatis ad igneam conversio. Sed & tertia *accedit* ratio : *quia purgantia fluxum, qui jam antè inflammatas partes vexat, movent: atque sic inflammationes augent.* Verum *his rationibus non obstantibus, Galenus l. 13. meth. med. c. 6 purgantia in inflammationibus concedit. Distinguit autem inter* factas *&* fientes, *quæ adhuc sunt in generatione.* Factas *curat per solam impactæ materiei vacuationem. Hac enim sublatâ, inflammationes tolluntur.* Fientes *tractat aliter. Nam cum in ijs adhuc humores affluant: primùm fluxionis causas auffert: deinde ad impactæ materiei vacuationem accedit. Causæ verò fluxionis vel sunt* in ipsa parte inflammata : *quando scilicet intemperiem calidam à nimio motu, æstu solis, ardore ignis, acrimonia alicujus medicamenti &c: contraxit: aut dolore cruciatur: idq; partim propter intemperiem calidam, frigidamve: eamq; modò à causa externa: v.g. aëre ambiente, animali venenato, pharmaco vehementer calefaciente, aut refrigerante: modò à causa interna, vitiosis scilicet humoribus in corpore congestis, profectam: partim propter causas alias: nimirum propter vulnus, contusionem, distorsionem, tensionem, obstructionem, spiritum flatulentum: uno verbo, propter continui solutionem.* Vel in parte alia: *vel* in aliis: *vel etiam in* corpore toto: *quod superfluos humores, quos coacervavit, ad partem phlegmone tentatam ablegat. Has ergò causas Galenus primùm submovet: postea phlegmonem ipsam curat: siq; totum corpus malè sit affectum: hoc est, vel plethorâ,*

vel cacochymiâ laboret, illam quidem tùm aliis remediis: tùm inprimis venæ sectione demit: hanc verò purgatione extirpat: eamque excedenti succo accommodat. Ex quibus apparet, purgantia non directè quidem, & per seipsis inflammationibus competere: cum ab iis nihil vacuent: competere tamen indirectè & per accidens: quatenus affectum quendam corporis totius, ipsam scilicet κακοχυμίαν, si adsit, eliminant: affluentesque vitiosos humores avertunt: ne inflammatio incrementum capiat & in deterius labatur. Itaque ad primam rationem facilis est responsio. Nam Hippoc. loquitur de inflammationis causa continente, quæ parti affectæ est infixa: & propter eam purgantium usum rectè improbat: eò quòd nihil detrahant ab ea: sed vires tantùm frangant. Nos autem cathartica antecedentis tantùm causæ ratione defendimus: idque vacuationis & revulsionis ergò. Vacuationis quidem ἕνεκα: ut vitiosi humores, qui nondum affluunt, affluxuri autem fortè brevi, educantur. Revulsionis verò χάριν, ut qui jam in motu sunt, & ad particulam inflammatam se conferunt, avertantur. Ad secundam Galenus ipse commen. aphor. 24. sect. 1. respondet. Purgantia enim febri quidem, quâ febris est, propter caliditatem & siccitatem suam nocent: verùm non ratione febris: sed ratione causæ febrificæ offeruntur. Itaque etsi nocumenti quid adferant: major tamen longè illa utilitas esse solet, quæ ex purgatione vitiosorum humorum percipitur. Hanc responsionem magis ad institutum nostrum applicamus, si dicamus: purgantia quidem per se inflammationibus viscerum adversari: per accidens autem illis conferre, quatenus vitiosorum humorum affluxum amoliuntur. Tertiò negare possumus, omnia in universum purgantia calidæ siccæque complexionis esse. Validiora quidem talia esse largimur: at non item mitiora omnia. Ex his enim quædam refrigerant atque siccant: ut rosæ, tamarindi, myrobalani, syr. ros. sol. simpl. &c. Nonnulla refrigerant atque humectant,

ctant; ut violæ, syr. viol. sol. simpl. passulæ laxativæ, &c: Alia moderatè quidem calefaciunt: sed simul temperatè quoque humectant, ut Manna, cassia, elect. lenitivum, cassia extracta, Diacassia cum manna. Quæ purgantia sufficere in inflammationibus possunt. Non enim inflammationes irritant atque exasperant: neq; febrim, quæ illis perpetuò aßidet, augent: & verò calidis, tenuibus, biliosisq; humoribus, qui omnium maximè affluere solent, apprimè sunt accommodata.

IV.

An purgatio in fracturis, vulneribus, atque ulceribus valeat? *Per se quidem & directè ad horum affectuum curationem nihil facit: ideòq; tanquam* curatorium *remedium adhiberi non potest. Facit tamen aliquid per accidens, & indirectè: quatenus vitiosos humores, qui propter dolorem, inflammationem, & infirmitatem partium læsarum in corporibus* κακοχύμοις *affluunt, educit, atq; ab ijs revellit. Quo nomine* præservatorij *præsidij laudes meretur. Accurrentibus enim humoribus noxijs, neq; fracturæ ferruminari: neq; vulnera uniri: neq; ulcera cava carne impleri, consolidariq; possunt. Iisdem verò aversis, & per aluum eradicatis, curatio, cæteris paribus, facilè succedit. Quam ob causam etiam Galenus purgatione in fracturis lib. 6. meth. med. c. 5. in vulneribus verò & ulceribus lib. 4. meth. med. cap. 5. & 6. utitur.*



ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Sitne butyrum ante, an post pastum comedendum? Ante.

II.

Rectène faciant illi, qui in pestis, febrium malignarum, haustorumque toxicorum curatione lapidem bezoar, & unicornu, posthabitis alexipharmacis aliis, quæ semper sunt ad manum, præscribunt? N.

III.

Utra concoctio nobilior, χύλωσις an αἱμάτωσις? Αἱμάτωσις.

IV.

Sitne verum, quod Hippocrates l. 6. epid. s. 2. scribit: nempe dolorem sedare dolorem? A.

V.

An sicut ex colore cutis & pilorum judicare licet de temperamento hominis: ita etiam is temperaturæ signum sit in plantis? N.

VI.

An minus periclitentur illi, qui cognato naturæ suæ morbo laborant? Affirmativa placet cum Hipp. aphor. 34. s. 2.

VII.

An verum sit, quod dicit Hippoc. l. de flatibus, contraria contrariorum esse remedia? Verissimum.

VIII.

An omnes acuti morbi sint calidi?

IX.

Utrum variolarum & morbillorum eruptio vera κρίσις dici possit? N.

FINIS.

DISPUTATIO DE PURGATIONE QUARTA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO Juniore: Doctore & Professore Medico:

Respondente

ANTONIO RüBER Ulmensi.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXX.

PROBLEMA I.

AN licitum sit in cholera, quam cholericam aliâs passionem practici vocant, vomitorio, aut dejectorio uti pharmaco? *Hippocrates lib. de vict. acut. duplicem proponit choleram: aridam atque humidam. Ab arida ventrem inflari, strepitus fieri, lumborum & laterum regionem dolere, nihilque per alvum excerni, sed eam adstrictam esse dicit. In humida, ait, ventrem esse liquidum, bilem deijci, vexareq; tormina, vomitiones, & mordicationes. Libro 7. epid. bilis sursum deorsumque eruptiones addit: insuper etiam causas choleræ exponit: quòd scilicet ex usu carnis, maximèque suillæ crudioris, sepiarum, locustarum, gammarorum, olerum, præcipuè verò porrorum, ceparum, lactucæ, brassicarum, rumicũ crudiorum, placentarum, libarum dulciariarum ac mellitarum, pomorum, cucumerum, peponum, cicerum, & erui; potu item vini odorati, ac veteris, ad ebrietatem usq; ingurgitati, insolatione, aliisq; causis, generetur. Vtramq; Galenus etiam agnoscit comm. 4. in lib. de vict. acut. t. 96. & 103. scribit enim, Hippocratem utriq; affectui idem dedisse nomen, quòd idem utriusq; sit generationis modus. Nam quemadmodum cholera humida ex acribus oritur humoribus, qui ex esculentorum corruptela prodierũt: sic arida ex spiritu flatuoso acri nascitur. Quo fit, ut, quæ prope ventrem sunt, nervosa corpora mordeantur, intendantur, atque doleant. Idem ferè monet in Isagogico cap. 13. Duplex, inquit, cholera est Hippocrati: altera humida, in qua vehemens est excretio: bilis suprà infràq; erumpit: intestina graviter torquentur. Accedunt convulsiones: sæpè etiam crurum suræ contrahuntur. Altera*

ficca, ab eadem proveniens causa, ac circa eadem consistens: at citra ventris fluorem & vomitionem. Hac præmissa distinctione, *respondemus*, in arida cholera *dejectorio opus esse pharmaco: & quidem maturè: dum vires adhuc constant: & graviora absunt symptomata: quæ aliàs medicum ab ordinaria, legitima, & methodica curandi ratione avocant: ac ad sui demolitionem eum invitant. Ratio est: quia* κακοχυμία *effatu digna adesse ex effectu cognoscitur: quæ citiùs faciliùsq; extirpari non potest, quàm purgatione. Dempta ergò & præsentium, & futurorum symptomatum causâ, & quidem in principio statim affectus, æger brevi liberatur. Hunc curandi modum suo quoq; calculo approbat Hippocrates l. de vict. acut. Vult enim, ut aridâ affectis cholerâ quàm celerrimè venter subducatur: idq; clysmate: sique ex insufficienter evacuata materia dolor perseverârit, præcipit, ut uberioris purgationis gratiâ lac asininum offeratur. Hoc enim, subdit Galenus in comm. 4. l. de vict. acut. t. 109. omnium purgantium medicamentorum mitissimum clementissimumq; est: omnique lacte, quod quidem in usum adhibetur medicinalem, humidius, & ventrem magis subducit. Est namque tenue admodum, & serosi humoris plenum: testibus Aristotele l. 3. hist. anim. c. 20. & Galeno l. 10. simpl. c. propr. Quæ causa est, quod facilè per alvum secedat: quoniam omne lac vim deijciendi, quam habet, à sero habet: authore Galeno l. 3. alim. fac. c. 15. Sed* quæres, *an non in hac choleræ specie etiam vomitum provocare liceat? Respondemus licere, si materia vergat sursum, ipseq; decumbens sit ad vomitum facilis.* Verum dices, *Hippocratem tamen vomitum dissuadere: tantùmq; velle, ut materia per alvum educatur. Respondemus, Hippocratem ejusmodi proponere casum, in quo peccans humor non tàm ventriculum, quàm intestina contristat. Id quod ex eo patet, quia scribit, ventrem inflari, in eo fieri strepitus, h. e. rugitus & murmura: doloreq; tùm latera, tū lumbos infestare. Quæ sanè symptomata documento sunt, flatus & humores intestina potissimùm*

crucia-

cruciare. At si nō modò, hæc, sed etiā ventriculum obsideant, vomitum ciere ex textu 110. liquet: memorem, opinamur, aphor. 21. sect. 1. quæ educere oportet, quò maxime vergere videntur, ducito, viis ac locis utiliter eò ferētibus. Cōcludimus ergò, & vomitoria, & dejectoria pharmaca in hac choleræ specie locum habere: placet tamen cum Galeno & Hippocrate, ut moderata sint utraque. h. e. mitia atque benigna. Humidam choleram *quod attinet, multa sanè sunt, quæ tùm vomitionem, tùm purgationem prohibere videntur. I. quia peracuta est passio: authore Galeno comm. aphor. 12. s. 1. & intra exigui temporis spatium hominem è medio tollit. Id quod etiam Hippocrates attestatur lib. 7. Epidem. ubi diem quintam, septimam, & nonā, eam judicare perhibet. Atqui in acutis rarò, & per initia purgandum: nec verò id inconsideratè faciendū: aph. 24. sect. 1. II. quia corpus sua spōte & per superiora, & per inferiora copiosissimè, frequētissimèq; vacuatur. Nō ergò vacuationibus arte institutis opus: nisi animā ipsam vacuare libeat. III quia vires crebris illis tùm vomitionibus, tùm dejectionibus eum in modum debilitantur, ut ferendis vacuationibus novis pares esse nequeant. IV. quia choleræ gravissima supervenire solent symptomata: quæ partim omne Medici consilium ad se trahunt: partim quemvis sui nominis atque existimationis amantem à purgatione haud immeritò absterrent. Inter ea, velut ex Galeni Isagoc. c. 13. comm. aphor. 1. s 5. l. 3. de caus. puls. c. 17. l. 2. de præsag. ex puls. c. 9. l. 1. ad Glaucon. c. 14. l. de trem. palp. cōvuls. & rig. c. 5. et Damasceni l. 5. meth. med. c. 19. colligimus, sunt, convulsiones, musculorum suralium contractiones, leipothymiæ, syncope, tremores, pulsus vermiculantes, singultus, sudores frigidi, refrigeratio extremitatum, torsiones ventris, vigiliæ, sitis inexplebilis, facies cadaverosa, qualem Hipp. in principio prognost. describit, Hippocratica ob id appellari solita. V. quia* χολερικοὶ, ἢ χολεριῶντες, *h. e. ut Plinius vertit, biliosi nihil retinent. Frustrà ergo vomitoria, aut dejectoria medicamina ÿs propinan-*

tur. Verum *utut allata urgere videantur rationes; pleriq; tamen ex præstantissimis medendi artificibus, vel vomitoria, vel dejectoria, vel utraq; simul, sed diversis temporibus haurienda, consulunt. Ex eorum albo cumprimis sunt Paulus l. 3. c. 39. Aretæus l. 2. de cur. acut. morb. c. 4. Trallianus l. 7. c. 14. & 18. Damascenus l. 5. c. 19. Avicenna l. 3. can. fen. 16. tr. 2. c. 13. Celsus l. 4. c. 11. & ex recentioribus Valescus, Montuus, Rondeletius, Capivacceus, Mercurialis, Hollerius, & alÿ. Ratio est duplex. I. quia jndicans purgationis adest,* κακοχυμία *insignis: eaq; vel in prima, vel in secunda, vel in tertia corporis regione ex cibis corruptis, aut prava viscerũ constitutione collecta, inq; ventriculum tandem & intestina effusa: cui purgatione succurrendum. II. quia affectus iste curari non potest, nisi causa auferatur. Aufferri autem nequit, nisi purgatione. III. quia Medicus est imitator & adjutor naturæ. At natura noxiam materiam expellere satagit. Itaq; idem quoq; faciendum Medico, si natura non satis, aut leniè saltem expellat.* Credimus, *in hac cholera, neq; temerè usurpanda, neq; prorsus damnanda esse purgantia. Proinde in hunc modum cum authoribus allegatis distinguimus. Missa facienda sunt omnia purgantia, sive sursum, sive deorsum purgent, cùm natura vacuat celeriter & copiosè: cum vires languent: cùm denique gravia & periculosa adsunt, aut brevi adfutura sunt symptomata: v. g. convulsiones, singultus, tremor, leipothymia, syncope, sudores frigidi &c. Illorum verò loco adhibenda, quæ symptomata tollant: ventriculum roborent: fluxum, & cumprimis vomitiones coërceant: id quod adstringẽtibus & avertentibus præsidiis commodè præstari potest. Verè siquidem Celsus dixit: partem sanitatis esse, vomitum esse suppressum. Quodsi natura quidem vacuet: sed lentè, & modicè; viribus permittentibus, & absentibus gravioribus accidentibus, vel vomitoriis, sed levioribus: vel dejectoriis, sed itidem benignioribus, & quadam adstringendi virtute præditis, in principio statim juuanda. Vomitorÿs*

qui-

quidem, si æger facilè vomat: ipsaq; peccans materia repat sursum: dejectoriis verò, si ad vomitum sit difficilis: siq; materia deorsum magis, quàm sursum inclinet. Verum periti, inquit Damascenus l.5. meth. med. c.19. & prudentis Medici consilio hîc opus est, qui omnia diligenter expendat.

II.

Utrum in variolis & morbillis purgatio concedenda? *Quæ educere oportet, inquit venerandus senex aphor. 21. sect. 1. quò maximè vergere videbuntur, ducito: vijs ac locis utiliter eò ferentibus. Atqui educere oportet materiam variolarum ac morbillorum. Itaq; quò vergit, ducenda. Vergit autem ad ambitum corporis. Naturæ ergo motus promovendus: omniq; cura & studio in id incumbẽdum, ut foras ad cutem protrudatur. Hoc argumẽtum inhibere videtur purgantiũ administrationem, quæ naturæ conatum in expellenda variolarum materia impediunt. Natura enim tendit à centro ad circumferentiam. At purgantia trahunt à circumferentia ad centrum: authore Galeno aphor. 5. sect. 4. Obstat & aliud. Experintia docet, periculosas quandoq; tùm diarrhœas, tùm dysenterias variolis supervenire: idq; propterea, quia corpus acribus atq; malignis humoribus abundat: qui cum naturam stimulent atq; irritent, sæpè ad intestina ruunt. Quare si ejusmodi fluxus fiunt sponte: quid futurum putamus, si arte provocentur?* Verum hæc argumenta *tanti ponderis non sunt, ut omnia in universum cathartica penitùs excludant. In principio fatemur, omne Medici consilium eò dirigi debere, ut materia ad cutem protrudatur: neq; purgantibus, quæ validè, & à distantioribus locis trahunt, naturæ motum impediendum arbitramur. Quodsi tamen alvus adstricta sit, naturamq; gravet, & febrilem calorem, qui ferè semper adesse solet, augeat: utiq; non verebimur, vel emollientes laxantesq; clysteres applicare: vel, si eos sibi æger applicari nolit, leviora quædã purgãtia, v. g. passulas laxat. elect. lenit. cassiam noviter extractam:*

syr.

ſyr. roſ. ſol. ſimpl. ſyr. viol. ſol. ſimpl. ſyr. diaperſic. ſyr. diaſer. Andern. Mannam, cum decoct. flor. & fruct. &c. exhibere. Hæc enim cum purgent leviter, & primas ſolùm vias purificent, naturam à ſuo inſtituto minime avocant. Quodſi etiam variolis iam ſufficienter expulſis vitioſi humores ſupereſſe videbuntur in corpore, qui à natura non expellantur: ne tùm quidem feriandũ cenſemus: ſed ſentinam humorũ tùm modò enumeratis: tùm etiã aliis, blandioribus tamen, v. g. Diacatholico; Rhabarbari & Agarici infuſo: decocto fol. Senæ, Tamarindorum, & Myrobalanorum: ſyr. de Rhabarb. ſolut. &c. extirpandam putamus: ne ægritudini nouæ anſam atq; occaſionem præbeant.

III.

An pueri tutò purgari poſſint? *Hippocrates, ut Galenus monet comment. aphor. 26. ſect. 3. pueros in quatuor ordines diſtinguit. Primus eſt* τῶν σμικρῶν καὶ νεογενῶν, *parvorum, & recens natorum: ſeu, ut Celſus l. 2. c. 1. loquitur, infantium, & tenerorum puerorum: quorum morbos Hipp. recenſet aphor. 24. ſect. 3. Secundus* τῶν προσαγόντων πρὸς τὸ ὀδοντοφυεῖν, *eorum, qui ad dentitionis tempus accedunt: ac jam dentes eduut: de quorum ægritudinibus agitur aph. 25. ſect. 3. Eſt autem illud tempus magna ex parte circa menſem ſeptimũ: teſtibus Paulo l. 1. c. 9. & Aët. tetr. 1. ſerm. 4. c. 9. Tertius* τῶν πρεσβυτέρων, *eorũ, qui ætate paulũ proceſſerũt: h. e. qui inter dẽtiẽtes, & pubertati proximos ſunt medij & ut Gal. com. aph. 26. ſ. 3. definit, usq; ad duodecimum, aut decimũ tertiam annũ progreſſi: quorum affectus Hippocr. enumerat aph. 26. ſect. 3. Quartus* τῶν πρὸς τὴν ἥβην προσαγόντων, *illorum, qui ut Gal. ait comm. aphor. 27. ſect. 3. ad ætatem pervenerunt pubertati proximam: quales ſunt, qui, eodem ibidem authore, duodecimũ, decimũ tertiũ, aut decimũ quartum annũ agunt. De quorũ vitiis Hipp. aph. 27. ſect. 3. verba facit. Incipiunt enim pubeſcere, inquit Gal. loc. cit. poſt decimum quartũ annum. Vt verò nullum certũ & definitum eſt dentiendi tempus, Galeno l. 1. & 6. de tuend. ſan.*

moni-

monitore: sic eodem judice. aphor. 27. sect. 3. non unus est omnium certissimus pubertatis terminus: idque propter diversitatem temperaturæ. Calidi enim inquit, citiùs: frigidi tardiùs pubescunt. His puerorum ordinibus *distinctis, respondemus, pueros, & cumprimis primi ac secundi ordinis, purgare, non usque adeò tutum esse. Tenelli enim sunt, molles, & delicati. Imò neque admodum necessarium, ut purgentur. Corpus namq; calidum, humidum, molle, rarum, ac patens habent, quod per se, & sponte sua quotidiè per meatus cutaneos vacuatur: sic docente Galeno l.9. meth. med. c. ult. l. 11. meth. c. 14. & comment. 4. in l. de vict. acut. t. 19. Adhæc frequenter tùm vomunt, tùm ventrem exonerant, teste eodem l. 3. de sympt. caus. c. 3. Calorem quoque nativum obtinent plurimum: aphor. 14. sect. 1. qui crudos, quos ex voracitate collegerunt, humores facilè concoquit: aut per laxos mollesq; corporis meatus vel discutit, dissipatq; insensibiliter: vel sensibiliter excernit. Itaque quos sponte natura vacuat, frustrà Medicus purgantibus cruciat. Quodsi tamen morbis ex* κακοχυμίᾳ *laborent, quos natura oppressa superare nequit, nisi sarcina vitiosorum humorum aliquo modo sublevetur, pueros tertij & quarti ordinis pharmacis purgare minimè dubitamus: sed talibus, qualia præcedenti problemate descripta. Primi verò ac secundi ordinis puerulos purgandos existimamus, medicamentis non illis ipsis: sed nutricibus exhibitis. Hunc enim purgandi modum Hippocrates lib. 6. epid. sect. 5. aphor. 34. præscribit, cùm dicit: mulier, capra, elaterium, aut cucumerem sylvestrem comedentes, pueris purgatio. Quibus verbis docet, lac nutricum, brutorumque animalium purgatrice imbui facultate, si elaterium, hoc est, succum cucumeris asinini: vel cucumerem ipsum: vel, ut Galen. ait comment. 5. in 6. epid. t. 35. aliud aliquod catharticum sumpserint: ac proinde pueros purgare: nutricum quidem lactantes: caprarum verò ablactatos. Non enim omnem vim medicamentosam peri-*

re, cùm assumpta in sanguinem, & lac sunt mutata: sed manere, præsertim efficaciorem, atque potentiorem; odor, sapor, ipsiq; effectus planum faciunt. Cujus rei Galenus pulcherrima exempla tradit. Nam lib. 3. de alim. fac. c. 15. scribit, multas nutrices ruri degentes, cibisque κακοχύμοις, *oleribus scilicet sylvestribus, propter annonæ caritatem, vescentes, in ulcera incidisse totius corporis: ijsque vitiosi lactis ratione etiam suos infantes infecisse. Idem ibidem refert, eum, qui capræ, aut alterius cujusspiam animalis, scammonio, vel tithymallo pasti, lac cibi loco hausit, purgatum iri. Quod ipsum comment. 5. in l. 6. epid. t. 35. repetit: ubi capras verno tempore germinibus scammonij, aut tithymalli saturatas lac catharticum generare asseverat. Et in Doride, Boetia, Thessalia, finitimisq; locis, imò & Athenis, multos ex largiori coturnicum esu spasmo correptos fuisse ibidem memorat: causamque in veratrum, coturnicum pabulum, refert: cujus vires in earum carnibus maneant. Quibus exemplis addere licet turdos: quorum carnes baccarum juniperi, quibus crebrò vescuntur, odorem saporemq; repræsentant: aves quasdam aquaticas, quæ pisces sapiunt: sanguinem hircinum, qui, ut lapides renum conterat potentius, hircus mactandus simplicibus diureticis atq; lithontripticis aliquandiu nutritur.*

IV.

Utrum gravidæ purgandæ? *Pro negativa sequentes adduci possunt rationes. I. quia purgantia & matri & fœtui sunt inimica: idq; propter malignam, quam in se habent, qualitatem. II. quia menses movent: sicq; fœtui subtrahunt nutrimentum. III. quia corpus turbando, humores agitando, eosq; præcipitando ad intestinum rectum, cui uterus contiguus, ligamenta, quibus foetus utero alligatur, solvunt, abortumq; faciunt. IV. quia vi-*

res

res corporis eneruant: & quidem non solùm vacuando: sed etiam malignitate sua cor & ventriculum afficiendo. V. quia gravia quandoque symptomata excitant: nimirum vomitiones, tormina ventris, vertiginem, leipothymian, alia, de quibus disput. 1. problem. 2. ex varijs Galeni locis dictum: quæ gravidæ sine metu abortus vix ferre queunt. VI. quia Galenus inquit comment. aphor. 55. sect. 5. non audere Medicos impregnatis validum aliquód auxilium adhibere. At tale etiam purgans est. Habetur siquidem purgatio in albo magnorum generosorumq; præsidiorum: teste eodem Galeno comment. 29. sect. 2. aphor. VII. quia Hippocrates aphor. 30. sect. 5. prægnantibus venæ sectionem dissuadet. Itaque multò magis purgantia ijs vitanda videntur. Scribit enim Galenus comment. 2. in lib. de vict. acut. t. 11. phlebotomian tutiorem esse purgatione. VIII. quia Hippocrates etiam spontaneas alvi vacuationes suspectas habet: & ne abortum causentur, veretur: quemadmodum patet ex aphor. 34. sect. 5. & aphor. 27. sect. 7. Quapropter etiam illis minimè fidendum, quæ arte instituuntur. Hisce rationibus & authoritatibus accedit etiam judicium Averrois: qui 7. collig. 4. dicit, phlebotomian præsente repletione, qua fœtus non eget, malam non esse: pharmacum verò purgans ad bonum pervenire finem minimè credit: idq; ob accidentia, quæ antè enumerata. Verum probabilior longè sententia est affirmativa. *Nititur enim ratione, experientiâ, & authoritate Hippocratis atque Galeni.* Ratio est *ista: quia gravidæ nonnunquam morbis ex κακοχυμία prehenduntur: febribus v. g. putridis, continuis, & intermittentibus: anorexia, cachexia, ictero, hemicrania, melancholia &c. quibus nisi purgantibus obviam eatur, & matri, & fœtui periculum imminet.* Experientia *verò docet, plures purgari gravidas, non modò nullo cum discrimine, & jactura embryonis: sed felicissimo cum successu, & sanitatis recuperatione, tùm matris, tùm fœtus.*

Authoritas *deniq. Hippocratis est in promptu aph. 1. sect. 4. ubi utero gerentes medicamentis purgare jubet, si materia turget: h. e. motu ab una parte ad aliã movetur. Cui subscribit Galenus in impetuosiore cõmẽto. Cæterũ nisi cautè & circũspectè gravidas purget Medicus, facilè existimationis & famæ suæ jacturã pati potest. Quare tria illi diligenter expendenda:* MORBUS: GRAVIDA: PURGANS. Morbum *Hippocrates vult eiusmodi esse, cujus materia turgeat. Verum & in ijs purgandum censemus, in quibus licet materia non turgeat, tanta tamen* κακοχυμία *collecta est, ut non nisi purgantibus eximi possit. Hippocratem autem turgentis solùm materiei meminisse putamus; ut tacitè moneret, non nisi magna urgente necessitate gravidas purgandas esse.* In gravidis *spectanda duo: vires: & tempus gestationis.* Vires *si sint validæ atque robustæ, tutiùs & alacriùs purgari potest. Sin debiles, aut omninò purgatio intermittenda: præsertim si regio sit calida, & æstas urgeat: ipsaque ægra purgationi minimè assueta: aut* ἐπικράσει *utendum: hoc est, alternis vicibus noxia materia leniter evacuanda: & bona victus ratione virtus roboranda: id quod omnium commodissimè, & tutissimè sacculis, sive nodulis nostris præstari potest.* Tempus *verò* gestationis *Hippocrates ipse aphorismo allegato distinguit. Nam primis tribus, & ultimis tribus mensibus, qui sunt septimus, octavus, & nonus, purgationem quidem non prorsus damnat: magna tamen* εὐλαβείᾳ, *circumspectione & cautione opus esse innuit. Medijs autem, nempe quarto, quinto, & sexto, tutiorem esse dicit. Rationem Galenus reddit in commento: & nos eam prolixiùs explicuimus disp. 11. de ven. sect. problem. 1. Primis enim mensibus, & ipse fœtus infirmus est, valdèq. delicatulus, & vincula eius parum robusta: adeò ut ob purgantis actionem promptè solvantur. Ultimis verò fœtus ponderosius existit, & partui vicinus. Unde ligamenta eius*

facilè

facilè vel solvi, vel rumpi queunt. Septimus mensis non tantùm eam ob causam periculosius est, quia fœtus gravior: sed etiam propterea, quoniam non rarò partus in eo contingere solet: quemadmodum ex lib. Hippocr. de septimestri partu liquet. Mensibus autem medijs retinacula embryonis robustiora, crassioraq; sunt: ac proinde non facilè à purgantis medicamenti commotione rumpuntur. Purgans *debet esse clemens, mite, atque benignum: cujus generis illa sunt, quæ suprà descripta. Scammonium, colocynthis, helleborus albus, & niger, turpethum, elaterium, mezerei, esulæ, & tithymalli species, euphorbium, hermodactyli, semina ricini, & lathyridis, radix bryoniæ, & composita hæc simplicia recipientia, tanquam præsentissimæ embryonum pestes Christianis Medicis fugienda. De his enim vera sunt 7. argumenta priora, quæ contra purgantium usum in gravidis fuêre in medium allata. Quod verò in octavo habetur, alvi dejectiones Hippocrati suspectas esse, dicimus, Hippocratem non de quibuslibet dejectionibus, sed de diuturnis solùm alvi profluviis verba facere: quemadmodum disput. 13. de ven. sect. problem. 3. ostendimus. Hæc enim suspecta sunt meritò: & quidem eam ob causam, quam ibidem ex Galeno proposuimus.*

VI.

Num purgandi, qui pravo utuntur victu? *Mirum videri posset, κακοχυμίαν indicans purgationis esse: & tamen Hippocratem aphor. 36. sect. 2. nolle, ut homines πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι purgentur: cum propter vitiosam victus rationem magnam pravorum humorum copiam intra se collectam habeant. Sed responsum fuit problem. 2. disput. 1. de purg. Nunc respondemus uberiùs. Hippocrates enim non tantùm respicit* ad indicans: *sed etiam ad* permittens. *Posito indicante, ad executionem accedit illius,*

quod indicatur, si nihil sit, quod illam prohibeat. Sin adsit prohibens, vel urgentioris rationem habet potiorem: vel curam ita temperat, ut utriq; quantum licet, satisfaciat. Exempli causa. Aphor. 7. sect. 1. sollicitus est de indicante, peracuto scilicet morbo; ejusq; causâ tenuissimo victu utendum monet. Verum hoc non statim utitur: sed prius aphor. 9. vires consulit: an tales & tantæ sint, ut præscriptum victum ferre queant. Sic aphor. 23. sect. 1. scribit, aliquando vacuatione usq; ad animi deliquium opus esse. Sed rursus indicatum minimè exequitur, si vires prohibeant. Exequitur autem, si huic vacuationi pares esse possint. Ita in ijs, qui improbè vivunt, ad κακοχυμίαν *quidem indicantem consilium dirigit: sed ita, ut prohibentes vires non negligat. Propterea eos non simpliciter à purgatione excludit: sed tacitè solùm hortatur, cautè tractandos esse: neq; vice una valido medicamento purgandos. Esse enim eos viribus infirmis; idq; ob boni sanguinis, spirituũ, & caloris inopiam; facilèq; in animi incidere deliquium. Quod tamen non ob hanc solùm causam ijs accidit; sed etiam propterea, quia sentina pravorum humorum purgantibus mota, tetros, malignosq; vapores ad cor, & ventriculũ mittit. Quare expurgandi quidem in ejusmodi hominibus sunt humores noxij: sed sensim, & per intervalla: eâ adhibita curâ, quam Galenus* ἐπίκρασιν *nominat. Sic enim utriq; indicanti, imbecillitati virium, & cacochymiæ satisfieri potest.*

VI.

Recténe faciant, qui singulis mensibus, imò singulis propemodum septimanis, corporibus sanis, benèque valentibus, purgantia præscribunt? *Reperiuntur sanè Medici, qui, ut sana corpora præservent, superfluitates quotidiè ex victu collectas, nescio quibus pilulis, & pulveribus familiaribus atq; domesticis crebrò admodum vacuant. Verum repugnant Hippocrati: qui aphor. 36. & 37. sect. 2. & aphor. 16. sect. 4, homines integra sanitate*

nitate fruentes, qui nullos, aut paucos admodum noxios humores generant, ad purgationes non admittit. Rationem Galenus reddit in commentis: & lib. quos &c. purgare oportet: quia cum purgans in sano corpore non inveniat humorem pravum, quem educat: substantiam corporis aggreditur, spiritus dissipat, de humoribus utilibus, deq; solidis particulis aliquid demit, quod secum è corpore auferat. Unde vires debilitantur, corpus contabescit, sequuntur nausea, tormina, vertigo, dolor capitis, aliquando & convulsiones. Repugnant deinde Galeno: qui sect. 3. aphor. comm. 15. scribit, valdè solùm indigentibus, & ex longis temporum intervallis, purgationem utilem esse. Eorum verò, quæ quotidiè procreantur in corpore, excrementorum vacuationem minorem esse, quàm ut exigat purgantis medicamenti efficacitatem. Si verò quispiam voluerit bis in mense, aut semel saltem ea uti, veritus, ne excrementorum multitudo aggregetur, præter id quòd nocebit, corpora etiam in malam consuetudinem trahet. Repugnant deniq; dicto veteri: pharmacum mundum quidem reddit corpus: sed crebro usu maturam senectam infert. Concludimus ergò: excrementa illa, quæ singulis diebus in corpore coacervantur, vacuanda quidem esse, si integram conservare velimus sanitatem. Verum non per purgantia: sed alia vacuationum præsidia: cujusmodi sunt, inedia, aut parca saltem victus ratio: exercitatio: frictio: medicamina διουρητικὰ, ἱδρωτικὰ, ἐκκοπρωτικὰ, ἢ ὑπαγωγὰ, quæ alvum leniter subducant, humectando, emolliendo, lubricando, detergendo, moderatè stimulando, comprimendo.

ITA



ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Recténe Hippocrates l.6. epid.ſ.4. & Ariſtoteles ſect.11. probl.3. dicant, μεγαλοφώνυς, magna voce præditos eſſe, qui multum caloris habent? A.

II.

Utrum rarus corporis habitus ſalubrior ſit, & à morbis reconvaleſcat faciliùs habitu denſo, velut Hippocr.l.περὶ τροφῆς ſtatuit? A.

III.

Num qui rarioris ſunt texturæ, debiliores ſint: fortiores contrà, qui denſæ: quemadmodum idem ibidem docet? A.

IV.

Deturné urachus in brutis ſolùm: an verò etiam in homine inveniatur? In utrisque illum agnoſcimus.

V.

An Hippocrates calorem noſtrum nativum rectè vitæ & necis authorem ſtatuat? A.

VI.

Quid ſentiendum de illo Hippocratis l.de fract. veriſimile quodammodo eſt, omnes morbos ulcera eſſe? Durum quidem illud videtur: at de morbis, qui dolorem afferunt, probabile forſan, & non prorſus ἄλογον. Vide Galen.comm.3. in lib. de fract. t.34. & lib. de inæq.intemp. c.6.

VII.

Verumné illud ſit Hippocratis l.de aëre,aq. & loc.naturas edaces non multùm eſſe bibaces? A.

FINIS.

DISPUTATIO
DE

PURGATIONE

QUINTA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore
Medico:

Respondente

JOHANNE LUDOVICO GANSIO
Heidbacensi Franco.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



Perillustri & Generosissimo Domino,

DN. LUDOVICO,

COMITI IN Erpach/ET DOMINO in Breuberg/S.Rom.Imper.Equiti, Domino meo clementi:

ITEMQUE

QUA PERANTIQUI GENERIS PROsapia, qua Heroâ virtute nobilissimo,


VALENTINO Echter à Mespelbrunn / in Geubach & Ottershausen/Equiti Franco, Mœcenati meo submissè colendo:

Strenæ loco

D. D.

Johannes Ludovicus Gansſ.

PROBLEMA I.



Itne ad evacuandam κακοχυμίαν vomitione, an alvi subductione utendum? *Dictum fuit problem. 1. disputat. 2. indicans purgationis esse κακοχυμίαν. Hanc autem per vomitum & ventris dejectionem educi posse probl. 1. disput. 1. assertum. De purgatione enim specialiter & κατ' ἐξοχὴν Galeno appellata nobis nunc est negotium: ut idem problema monet. Quæritur ergò, si purgatione opus, an per superiora, an per inferiora instituenda? Respondent Hippocr. aphor. 21. sect. 1. & in principio lib. de humorib. & Galen. in comm. super aphor. allegat. nec non in comm. aphor. 4. & 9. sect. 4. id cognosci partim ex* inclinatione naturæ: *partim verò* ex partis condition, *per quam purgandum: an una sit ex iis, quæ* ξυμφέροντα χωρία, *conferentia loca, nominantur. Quò enim natura vergit, eò humores ducendi. Nam si v. g. vergat ad alvum, dejectorium præscribendum pharmacum: si ad ventriculum, vomitorium: si ad meatus urinarios, diureticum: si ad habitum corporis, hidroticum. Idq; eò magis, quia intestina, ventriculus, renes, ureteres, vesica, & cutis* χωρία *sunt* ξυμφέροντα, *loca expurgandis humoribus apta atq; accommodata. Id quod probare licet ex contrarijs: locis scilicet minimè convenientibus. Etenim inconvenientia loca Galenus comment. aphor. 21. sect. 1. ea esse dicit, quæ vel principatum aliquem habent in corpore: per quæ si noxij humores vacuentur, majus subsequitur detrimentum, quàm morbi dignitas postulet: vel effluxione, hoc est, meatu carent: vel (addimus) imbecilla sunt, & aliquo affectu præter naturam obsessa. Hæc enim à transeuntibus pravis humoribus facilè lædun-*

tur. Quare, si contrariorum contraria est ratio, conferentia loca erunt, per quæ natura rectè agens superflua vacuat: ignobilia scilicet, & meatibus donata, per quos humorum sentina excerni possit. Ad ea ergò quando natura inclinat, inclinandum quoq; Medico, naturæ ministro & imitatori. Dices: *viam quidem purgationis ex dictis cognosci, cùm ipsamet natura jam* κακοχυμίαν *expellere satagit: nondum tamen apparere, quando nihil movet. Itaque indicans aliquod subesse, quod etiam naturâ feriante iter purgationis demonstret. Respondemus indicans illud esse* subsistentiam, *sive* sedem & locum *humoris expurgandi. Nam perspectâ sede, inquit Fernelius l. 3. meth. c. 9. in promptu sunt ductus omnes, qui ex ea aut per ventriculum, aut per alvum, aut per aliud quodvis emissarium foràs pertinent: per quos scilicet natura libera, nec impedita, vitia sua educere solet. Humor enim qui residet in ventriculo, viam purgationis per gulam & os indigitat: qui verò in venis, cavis hepatis, mesenterio, intestinis &c. latitat, viam purgationis per alvum insinuat. Eademq; aliorum humorum, qui non quidem propriè dictis purgantibus pharmacis, sed aliis evacuantur, est ratio. Nam hærentes in cerebri ventriculis, per nares & palatum vacuandum monent: contenti in bronchijs pulmonum, per arteriam asperam: delitescentes in renibus, per urinæ ductus: inclusi utero, per propriam illius cervicem: coarctati inter cutem partesq; subditas, per spiracula cutis: & sic deinceps. Atq; hæ viæ perpetuò ineundæ, nisi fortè morbus aliquis eas intercipiat. Tunc enim aliò motus convertendus. Causa est: quia nunquam temerè noxius humor in affectam sedem derivandus. Quocirca neq; imbecillo ventriculo vomitio cienda: neq; in intestinorum inflammatione bilis eò devocanda, sed revellenda aliorsum: neq; renibus inflammatis, aut exulceratâ vesicâ ad urinas, sed ad intestina vitiosus humor transferendus.* Diximus *suprà, eò ducendos humores noxios, quò inclinant. Sed sciendum, hanc inclinationem*

nem Galeno esse duplicem: unam utilem atq; idoneam: quæ fit naturâ duce, & quidem per convenientes regiones ac vias: alteram vitiosam atq; noxiam: quæ fit symptomaticè, naturâ impedita; ferociente interim humore pravo: & quidem per loca insueta. Illa Medico imitanda: hæc verò inhibenda, & in brevem rectumq; tramitem, (si commodè licet) revocanda. Sic namq; Galenus præcipit comment. aphor. 21. sect. 1. Oportet, inquit, Medicum naturæ inclinationem animadvertere: & siquidem idonea fuerit, subministrare & adjuvare: sin autem contrariè simul ac noxiè fiat, prohibere, transferre, atq; divertere.

II.

An humorum qualitas viam purgationis indicet? *Docuimus*, subsistentiam humoris evacuandi *viam vacuationis monstrare.* Inclinationem, sive motum naturæ, *si ipsa per se ipsam vacuare incipiat, eandem confirmare.* Partem, *per quam fit vacuatio, iter vacuationis aut permittere, aut prohibere. Permittere, si sit ex albo* ξυμφερόντων χωρίων. *Prohibere, si via sit insolita, aut minus apta atq; accommodata. Rogatur jam, an etiam expurgandorum humorum qualitas viam purgationis significet? Neq; sanè ridiculè. Sunt enim, ὑῷ* ἐ φαρμακοπῶλαι ἐκ περιόδου, *non pharmacopolæ de trivio: sed* ὄντως ἰατροὶ, *reverà Medici, veluti Galenus comment. 3. in lib.* περὶ τροφῆς *loquitur, qui asseverant, humores tenues, calidos, & biliosos vomitu exturbandos esse. Crassos contrà atq; frigidos per alvum educendos. Rationem adferunt ex comment. aphor. 9. s. 4. quia illi leviores sunt: & facilè sursum aguntur: hi graviores: ac proinde commodiùs extruduntur per intestinum rectum. Adferunt & authoritatem Hippocratis: qui aphor. 4. sect. 4. jubet, ut æstate superiorem: hyeme inferiorem ventrem purgemus. Tunc enim, inquit Galenus in commento, flava bilis abundat: totaq; animalis natura propter ambientis caliditatem ad superiora movetur. Hyeme verò pituita prædominatur: quæ deorsum vergit. Aphor. 6. sect. 4.*

vult, ut graciles & facilè vomentes per superna purgemus. Rationem dat Galenus in comm. quia magna ex parte graciles biliosi sunt. Aphor. 9. ejusdem sect. suadet, ut melancholicos pleniùs, sive fortiùs & vehementiùs infrà vacuemus. Ad inferiora enim, ait Galenus in comment. humor melancholicus repit. Itaq; rectè ducitur, quò inclinat: præsertim cum locus inferior sit conveniens: hoc est, ignobilis, naturæ usitatus, ductibusq; per quos materia superflua transire possit, instructus. Verum *ipsorum quidem humorum qualitas per se viam purgationis non indigitat. Rationes sunt duæ: I. quia axioma est therapeuticæ methodi, unum, quâ unum, non nisi unum indicare posse. At si humorum qualitas per se viam indicaret purgationis, unum indicans non unum, sed duo indicaret. Consequentia patet inde: quia vitiosa qualitas humorum vel sui alterationem per contraria: vel si alterari, & ad convenientiorem naturæ statum reduci nequeat, sui expurgationem tantùm indicat. Quod si eadem qualitas per naturam suam atq; essentiam etiam* τὸ UBI, *hoc est, viam, per quam vacuanda, indicaret, unum mehercule, quâ unum, duo indicaret: nempe pungationem, & purgationis viam. Itaque peccans humor per suam essentiam vacuationem solùm indicat: idem tamen etiam viam vacuationis insinuat: sed non per suam essentiam: verum per accidens aliquod, quod essentiam consequitur, nimirum per* subsistentiam. *II. quia si qualitas humorum per se viam purgationis patefaceret, biliosi sanè humores, quia leves, semper per os: pituitosi & melancholici, quia graves, deorsumq; vergentes, perpetuò per alvum excernendi forent. Consequens absurdum esse ex antecedentibus constat. Dictum namq; ex Galeno, naturæ semper inclinationem observandam esse: & per eas vacuandum regiones, per quas natura vacuat, si sint conferentes. Atqui bilis sæpiùs à natura per alvum eÿcitur: ut videre est in diarrhœa & dysenteria biliosa: itemq; in quarundam biliosarum febrium* κρίσεσι, *quarum materia expurgatur* κάτω.

Con-

Contrà, pituita non rarò vacuatur per vomitum: sicut testatum faciunt ij, quib. ventriculus pituitæ scatet. Itaq; concludimus, *biliosos humores habiles quidem atq; dispositos esse ad purgationem supernam: pituitosos verò & melancholicos ad infernam: has autem vias non ab ipsis: sed à* loco, *quo in subsistunt, indicari. Quæ doctrina non nostra, sed divini Hippocratis est. Nam aph. 18 sect. 4 scribit; dolores supra septum transversum, qui purgatione egent, per superiora purgandum significare. Qui verò infra sunt, per inferiora. Et aphor. 17. sect. 4. dicit, non febricitanti cibi fastidium, cordis, id est, oris ventriculi dolorem, quem* καρδιωγμὸν *appellat, vertiginem tenebricosam, orisq; amaritudinem purgatione per superna opus esse notare. Deniq; aphor. 20. ejusdem sect. docet, infernam requiri purgationem, si citra febrem adsint tormina, & genuum gravitas, & dolor lumborum. Quibus sanè verbis situm, sive sedem, & locum materiei morbificæ, quæcunq; tandem sit, viam* καθάρσιος *nobis monstrare innuit. Cui sententiæ etiã Gal. subscribit l. 13. meth. med. c. 11. inquiens, unde, & quomodo vacuatio facienda sit, locus affectus docet.*

III.

Faciántne aliquid ad notificandam purgationis viam anni tempus, regio, temperamentum, habitus corporis, ætas, sexus, consuetudo, præcedens victus ratio, & symptomata, de quibus patiens conqueritur? *Viam quidem purgationis hæ circumstantiæ non indicant: earum tamen consideratio ad inveniendam viam minimè est inutilis. Quædam enim signa sunt dominantium in corpore humorum: ut anni tempus, regio, ætas, habitus corporis, & sexus. Quædam causæ: & vel internæ: ut temperamentum: vel externæ: ut vivendi ratio. Quædam naturæ inclinationem atq; momentum demonstrant: ut consuetudo. Quædam deniq; subsistentiam, sive situm noxiorum humorum significant: ut symptomata. Cognitis autem humoribus, eorumq; situ, & naturæ inclinatione explorata; statim etiam, per quam viam instituenda sit* κάθαρσις *perspicitur.*

IV.

Utra vacuatio violentior: purgatio, an vomitio?

Instituenda hîc comparatio in ima specie. Absolutè enim & simpliciter neutra dici potest violentior. Supponantur ergò vomitorium & dejectorium forte: idem cœli status: regio eadem: idem anni tempus: eadem temperatura: eadem ætas: sexus idem: eademq; corporis constitutio. Iam si quæratur, utra vacuatio violentior sit, & plus laboris atq; molestiæ naturæ creet; respondemus vomitionem, sequentibus de causis. I. quia vomitio paucioribus convenit naturis: purgatio pluribus accommodari potest. II. quia vomitio non ea solùm excitat symptomata, quæ fortis purgatio: sed præter hæc etiam venarum ruptiones, hernias, gulæ, amygdalarũ, faucium, oculorum, & capitis dolores, visus caliginem, auditus gravitatem, periculumq; suffocationis, si sit vehementior & crebrior, infert. III. quia vacuatio in vomitione non fit paulatim & pedetentim, quemadmodum in purgatione: sed affatim atque confertim: quod juxta aphor. 51. sect. 2. σφαλερὸν, καὶ πολέμιον τῇ φύσει. IV. quia ventriculus, dùm vomit, de propria sede exilit, assidentesq; partes, quibus annectitur, magna vi divellit: purgatio citra ejusmodi subversionem & divulsionem perficitur. V. quia vomitio ventriculum, qui magnum consensum cum principibus partibus habet, magis turbat atque exagitat, quàm purgatio. VI. quia citiùs ac faciliùs convulsiones excitat, quàm purgatio. Ratio est: quoniam humores omnis generis, atq; inter eos etiam acres atque mordentes, quales sunt atrabilarij, & æruginosi, ad ventriculum, ejusq; orificium, quod sensus est acutissimi, trahit. Cujus rei elegans exemplum Galenus comment. aphor. 1. sect. 5. proponit. VII. quia humores, quicunq; tandem sint, faciliùs deorsum, quàm sursum moventur. Omnes enim naturâ graves. VIII. quia vomitio fit per ventriculum, cujus tanta præstantia, ut Q. Serenus illum Regi comparare minimè vereatur. Purgatio per intestina: quæ cloaca sunt totius corporis. IX. quia ad vomitum vires majores: mino-

minores ad alvi subductionem requiruntur. Quam ob causam Hippocrates superfluas humiditates in robustis tantùm ἄνωθεν, supernè; in debilibus verò κάτωθεν, infernè, vacuat. aphor. 6. sect. 7.

V.

Num prægnantibus mulieribus vomitio tuta? Facta conceptione, suppreßisq; menstruis, primis mensibus frequenter quidem vomere gravidas animadvertimus. Verum hæc vacuatio minimè imitanda videtur. Symptomatica enim est: non critica. Causa verò, cur vomitio vomitoriis instituta pharmacis, gravidis tuta non sit, varia est & multiplex. I. quia purgatio in iis suspecta: idq; ob causas disput. 4 problem. 4. recensitas. Ergò & vomitio, illius species. II. quia ea purgationis species, quæ alvi subductio, sive dejectio appellatur, cautè & circumspectè, nec nisi magna urgente neceßitate, in illis administranda: primis præsertim ultimisq; mensibus: nimirum propter rationes, quæ ibidem allatæ. Itaq; multò magis vomitio formidanda. Ratio patet ex præcedenti problem. quia vomitio alvi subductione violentior. III. quia in vomitione vehemens thoracis imiq; ventris compreßio fit atq; concußio: quæ vincula, quibus fœtus utero adhæret, disrumpit, fœtumq; eiicit: præsertim primis & postremis mensibus. Illis enim vincula admodum sunt mollia, tenera, atq; debilia. His verò fœtus est gravis: ita ut maturi fructus in modum facilè excutiatur. Quapropter concludimus, si gravidæ purgatione egent, per alvum potiùs, quàm per os purgandas esse: iis tamen observatis distinctionibus, quæ disp. 4. probl. 4. à nobis traditæ.

VI.

An vomitus pro universali purgatione haberi possit? Universalis purgatio dicitur vel ratione subjecti, ex quo purgat: vel ratione materiei, quam purgat. Prior ex universo corpore, aut maxima illius parte superfluitates educit: nimirũ ex publica aliqua corporis regione. Posterior omnis generis humores detrahit.

F

Atqui vomitio non tantùm ventriculum: sed etiam partes vicinas: imò & distantiores purgat: in prima scilicet secundaq; regione sitas: omnesq; humores, biliosos, pituitosos, melancholicos, serosos, imò & sanguinem ipsum vacuat. Quare non immeritò pro universali purgatione haberi potest. Utrumq; membrum minoris propositionis experientia probat: & veterum, cumprimis verò Hippocratis atq; Galeni, authoritas confirmat. Experientia *enim testatur, vomitum non solùm in affectibus quibusdam ventriculi, dolore v. g. singultu, nausea, cibi fastidio, &c: sed etiam in ægritudinibus capitis, quæ vel à ventriculo, vel à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, vertigine scilicet, cephalalgia, hemicrania, epilepsia, suffusione, incubo, melancholia hypochondriaca, &c. utilitatem præstare eximiam. Insuper etiam in nephritide, arthritide, ischiade, febribus inermittentibus, ac præcipuè tertianis & quartanis, ictero, καύσῳ, &c. commodare plurimùm. In quibus sanè vitiis & diversæ sunt sedes laborantes, & distincti humores efficientes. Nostræ sententiæ etiam* authoritas Hippocratis *favet. Nam & is omnis generis humores ex variis corporis partibus vomitu expurgari concedit. Videatur lib. prognost. l. 1. prorrheticor. prædict. coac. aphor. 32. s. 5. & aphor. 37. s. 7. quibus in locis vomitionis pituitosæ, biliosæ, æruginosæ, prasinæ, lividæ, nigræ, rubræ, omnigenæ, mentionem facit: quæ licet naturales solùm sint, tamen etiam arte tales provocari queunt. Patrocinatur quoque* authoritas Galeni: *qui & in προφυλάξει, & in θεραπείᾳ, non vacuationis solùm, sed etiam revulsionis causâ, ad varios humores variis ex partibus eliciendos vomitione utitur. Consulatur com. 4. in l. de vict. acut. t. 110. l. 13. meth. c. 11. l. 1. ad Glauc. c. 10. 11. 12. 14. & 15. l. de ren. affect. c. 5. comm. 4. in l. de vict. acut. t. 6. l. de remed. fac. parabil. c. 23. l. 10. de comp. med. κ. τόπ. c. 2. comment. 2. in l. 6. epid. t. 9. & alibi. Cujus sententiæ subscribit Paulus l. 7. c. 10. itemq; Aëtius tetr. 1. serm. 3. c. 119. ubi plurimos recenset affectus, diversas*

obsi-

obsidentes partes, & à diversis proficiscentes humoribus, quibus vomitio conducit.

VII.

An vomitio in omnibus, qui καθάρσει opus habent, locum inveniat? *Quemadmodum illa κάθαρσις, quæ per alui fit subductionem, omnibus, κακοχυμίᾳ licet laborantibus, accommodata non est: uti patet ex problem. 2. disputat. 1. ita neque vomitio in omnibus administrari tutò potest. Hippocrates enim excludit* ægrè vomentes, *&* εὐσάρκους, carnosos, *aphor. 7. sect. 4. Rationem dat Oribasius l. 8. coll. c. 21. quia violenter difficulterque vomentibus non mediocre periculum imminet, & venam aliquã rumpendi, & visum lædendi, & fauces, columellam, gulamque dolore conficiendi, & aliquod aliud incommodum patiendi. Ineptos etiam ad vomitum pronunciat* τοὺς φθινώδεας, tabidos: *aphor. 8. s. 4. hoc est, ut Galenus interpretatur, eos, qui vel morbum, φθόην καὶ φθίσιν Græcis appellatum, jam sustinent: vel ad eum naturâ proni sunt: quales sunt, quibus pectus adeò est angustum, ut à tergo opertæ scapulæ in morem alarum promineant: unde etiã πτερυγώδεις, alati vocantur. Præterea quibus caput debile est, facilèque repletur: ac proinde organa respirationis crebris destillationibus vexat: teste Galeno comment. 1. in l. 1. epidem. t. 18. Idem Galenus à vomitu eos quoque arcet,* qui *citra* φθόην angustũ pectus, compressumque pulmonem habent. *Periculum enim subesse scribit, ne aliquod conceptaculum respirationi inserviens disrumpatur: lib. quos, quando, &c. purg. oportet. Reÿcit & illos*, quibus ventriculus est ulceratus. *In his enim, inquit lib. 5. meth. med. c. 11. pus tutiùs per alvum eluitur. Nam si vomitu expellere conemur, metus est, ne quod exulceratum jam, dilaceretur: & succus aliquis pravus ex vicinis partibus attrahatur. Neque ÿ ad vomitum apti atque dispositi Galeno videntur*, quibus regio abdominis um-

bilicalis, imusq; venter, ἦτρον *Græcis dictus, qui umbilicum ac pudenda interjacet*, extenuatus, & ad tabem, sive colliquationem quasi perductus: *comment. 2. aphor. 35. Ratio est quia tabes hæc non tantùm est pinguedinis & cutis: sed vel inprimis musculorum abdominis, qui excretionis excrementorum imi ventris instrumenta sunt: authore Galeno l. 4 & 5. de us. part. Ideòq; si crassi fuerint atq; robusti, supernis & infernis purgationibus meliùs servient: sin extenuati & debiles, minus. Ad vomitum inhabiles etiam pronunciat Paulus l. 7. c. 10. eos*, qui sanguinis laborant expuitione, & quibus periculum suffocationis imminet. *Vasa siquidem pulmonis & pectoris rumpuntur magis: & suffocatione intereunt celeriùs, si vomuerint. Celsus l. 1. c. 3. vomitum iis dissuadet*, quibus corporis habitus est extenuatus *vi morbi: &* ventriculus admodum debilitatus. *Ait enim vomitu ejusmodi ventriculum mirum in modum lancinare atq; convellere: ita ut illum tolerare nequeant. Aëtius tetr. 1. serm. 3. c. 119. contrarium esse dicit non modò naturis jam expositis, hæmoptoicis scilicet & quibus suffocationis discrimen adest: verum etiam iis, qui* nausebundi sunt; *qui* sæpiùs in leipothymian incidunt: *qui quavis ex occasione caput dolent: qui oculorum vexantur affectibus: qui suffusione laborant: deniq; quæ ex mulieribus uteri prehenduntur strangulatione. Fernelius his addit* asthmate, dolore, *aut* inflammatione præcordiorum tentatos. *Periculum enim aut suffocationis, aut cruentæ expuitionis, aut ruptionis impendere scribit. In his ergò omnibus vomitio locũ non habet. Nam cogere eos, qui vomere nec possunt, nec debent, absurdum est, inquit Galenus l. 1. de loc. aff. c. 4. Contrà legitimo adhibita modo, & opportuno usurpata tempore, convenit faciles vomentibus, gracilibus, biliosis, quibus pectus est amplum, collum breve, ventriculus robustus, thorax sanus, caput & oculi firmi.*

VIII.

An aliqua corporis humorumq; præparatio vomitioni præmittenda? *Qui facilè vomunt, cujusmodi sunt graciles, & πικρόχολοι, nulla videntur opus habere præparatione. Biliosus enim humor tenuis est: ideoq; ad motum facilis. Qui verò vomunt ægriùs, ut sunt phlegmaticæ & melancholicæ complexionis homines: & in quibus humores, qui vomitu excutiendi, crassi sunt, lenti, atq; viscidi, præparatione egent: quæ attenuantibus, incidentibus, atque detergentibus potissimùm perficitur. Veteres peculiari quadam ratione præparabant sumpturos helleborum: quæ videatur apud Hippocratem aphor. 13 s. 4. Galenum comm. 4. aph. 13. lib. quos &c. purg. oportet. & Oribasium l. 8. coll. c. 1.*

IX.

Vtrum vomitio stomacho jejuno, an cibis referto cienda? *De hac quæstione non idem omnes sentiunt. Veteres ut plurimùm vomitionem à cibo provocabant: quemadmodum patet ex l. 5. de us. part. c. 4: ubi priscos Medicos commēdat Galenus, quòd semel, aut bis in mense, sumpto cibo, vomitum præceperint. Et Oribas. l. 8. collect. c. 21. scribit, faciliorem fieri vomitum, si corpus cibis mediocriter sit repletum. Mediocriter dicit: quia qui nimis se explent, inquit idem, ita ventrem quoque implent, ut eum contrahere nullo modo possint: cujus tamen contractio ad vomitum est necessaria. Author lib. de sal. diæt. quem Galenus Polybum, Hippocratis discipulum, esse credit, distinguit inter pingues & graciles. Pingues, sive crassos atque obesos, vult vomere jejunos, à cursu, aut cita ambulatione. Gracilibus verò atq; debilibus vomitum à pastu consulit. Causa forsan est: quia crassi vomunt ægrè: uti docet Hippocr. aphor. 7. s. 4: graciles contrà: quemadmodum idem aphor. 6. s. 4. monet. Itaq; pinguibus tùm imperandus vomitus, cùm vomunt faciliùs. Faciliùs autem hoc faciunt; quando jejuni. Cibo enim saturati imum ventrem benè comprimere atque contrahere non valent. Sunt enim ventricosi per se: & prominen-*

tiorem ventrem habent, cum victu referti. Gracilibus contrà atque debilibus à pasta cienda vomitio: quoniam & his ea facilitanda. Causa est: quoniam & propter virium infirmitatem, & propter musculorum abdominis maciem, validè ventrem constringere nequeunt. Itaq; rectè à cibo vomunt: quia tunc vomitio facilius succedit. Nostra sententia *est, vomitum jejuno ventriculo motum utiliorem esse, quia efficacior. Supervacuum namq; humorem sincerum excutit. Vomitum verò post cibum proritatum faciliorem levioremq; esse: quia ventriculus cibis oneratus, & à vomitorio ad evacuandum stimulatus, promptè excernit ea, quæ fuerunt ingesta: & unà cum ijs etiam humores, qui molestias illi creabant. Itaq; habito respectu* ad utilitatem, *ante cibum vomendum: exemplo naturæ, quæ manè in cacochymis corporibus sæpè vomitiones movet. Iejunus quippe ventriculus noxiorum humorum incursione infestatur: qui in pastis benignitate cibi demulcentur. Exemplo artis, quæ jejunis alvum subducit. Considerata verò & expetita* vomendi facilitate, *post cibum vomendum: idq; propter causam allatam. A cibo enim non ita utiliter efficaciterq; vomitur, ac ante. Vsu quippe venit, ut vitiosus humor ventriculum stimulet, cogatq; cibum vomere, nec tamen ipse prodeat. Id quod Fernel. l. 3. meth. c. 3. duabus de causis fieri notat. I. cùm ventriculum extrinsecus tantùm ferit: nondum tamen in ejus capacitatem penetravit. II. cùm lentore suo intus illi tenaciter adhærescit.*

X.

Rectène faciant, qui dato alvi subductionis indicante, statim ad illius exequutionem accedunt, nulla corporis præparatione præmissa? *Si nullus casus extraordinarius, qui necessitatis, urget, contra artis præscriptum eos facere arbitramur. Vt enim inferna purgatio tutò, citò, atq; jucundè procedat, necesse est, ut & viæ, per quas purgandum, sint apertæ: & humores, qui purgandi, fluxiles sint, & ad eductionem dispositi. Vnde apparet, duplici*

duplici opus esse præparatione: una corporis, nempe viarum illius reclusione: altera humorum: qui quatenus craßi, lenti, & glutinosi, attenuandi, incidendi, detergendi: quatenus calidi, acres, atq; mordaces, contemperandi & mitigandi, sive leniendi & demulcendi. Atq; hæc est illa præparatio, de qua Hippocrates aph. 9. corpora cùm quis purgare volet, fluxilia faciat oportet. Hac enim præmissâ, purgatio, inquit Galenus in comment. rectè procedit in omnibus. Ea verò neglectâ, purgatio fit difficilis, non sine torminibus interdum, & vertigine quadam, fastidioq; multo, & malo pulsu, ac dissolutione.

X I.

Num præparatio, quæ purgationi præmittenda, internis tantùm remediis perficiatur: an verò etiam externorum præsidiorum ministerium requiratur? *Ex præcedenti problemate constat, præparationem consistere primùm in reseratione viarum, per quas cathartici vis penetrare, & humores vitiosi transire necesse habent: hoc est, venarum atq; intestinorum. Deinde in attenuatione humorum crassorum: incisione & detersione glutinosorum: humectatione atq; emollitione siccorum durorumq;: & contemperatione, sive mitigatione acrium atq; erodentium. Atqui non tantùm interna remedium obstructas vias aperire, crassos humores attenuare, lentos incidere atque detergere, siccos humectare, duros & concretos emollire ac dissolvere, acres atq; mordaces lenire & contemperare possunt: sed etiam externa, quæ topica dicuntur, tùm universalia, tùm particularia. Itaq; patet, externorum quoque præsidiorum ministerium ad præparationem requiri, si interna haud sufficienter præparare valeant. Locum verò ex remediis externis hîc præcipuè habent* fomenta, unguenta, & balnea. *Fomentorum tamen vis est efficacior, quam unguentorum. Altiùs enim subit, penetratque magis, Nam fomentum suo tepore, inquit Fernelius l. 3. meth. c. 13. ac vapore per spongiam partem quamvis concalefacit, nativumq; eius calorem*

erigit

erigit ac suscitat: humores, qui ei præter naturam insident, & impacti consopitiq; sunt, excitat, emollit, attenuat, colliquat, fluxilesque reddit, ut facilè sequantur, quocunq; medicamentum trahet. Quod si totum corpus crasso glutinosoq; humore sit perfusum, eum nonnulli ante purgationem balneo, perinde atq; fomento, præparare jubent: quo tamen non sudores proritentur: sed duntaxat vacuandus humor emolliatur, & liquefiat. Atq; hæc præparandi ratio etiam priscis Medicinæ dictatoribus usitata fuit. Nam Galenus l.6. epidem. sect. 5. ut helleborus celeriùs & faciliùs purget, præter humectantem victum etiam balneum præscribit: cujus tamen loco Hippocrates quiete utitur: aphor. 13. sect. 4. Ratio extat l.2. de diæt. quia sicuti labor corpus siccat: ita otium & quies illud humectat: & sic balnei vices agit.

Π Α Ρ Ε Ρ Γ Α.

I.

Vtrum infantes siccandi, cùm excessum habere videantur in humiditate? N. cum Galen. 1. de tuend. san. c. 7.

II.

Verumne illud sit Hippocratis, l.6. epid. s.3. quòd cutis raritas vẽtris densitatem, sive constipationem causetur? A.

III

An rectè Galenus nutricibus Veneris usu interdicat, lib. 1. de tuend. san. c.9? Rectissimè.

IV.

Vtrum omnia, quæ dura, sicca sint: & quæ mollia humida? N.

V.

An frigidus ventriculus plus appetat, quàm possit concoquere: nimis calidus appetat minus, quàm digerere valeat: temperatus verò tantum appetat, quantum conficere queat? A. cum Galeno in μικροτέχν. c.62.63.& 85.

VI.

An appetitus cibi sit mensura: ita ut tantùm illius sumere liceat, quantum appetitur? N. in intemperatis.

F I N I S.

DISPUTATIO DE PURGATIONE SEXTA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore
Medico:

Respondente

ULRICO RIETMANNO
Lindaviensi.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



Prudentia, Dexteritate, plurimoq; reru m usu spectatissimis Viris,

Dn. ALEXIO EGGERO, Senatori apud Lindavienses dignissimo, æquissimo:

Dn. JOSAPHATO WEINLINO, Rei apud eosdem Publ. Dicographo fidelissimo:

Dn. ULRICO EGGERO, Civi & Mercatori ibidem integerrimo:

Avunculis, Cognato, Fautoribus suis quo par est, animi cultu observandis,

Exercitium hoc Medicum meritò D. D. D.

Ulricus Rietmannus, Resp.

PROBLEMA I.

AN præparatio humorum expurgandorum rectè concoctio & digestio à practicis appelletur? *Notorium est, practicos præparationem, quam purgationi præmittunt, concoctionem, & digestionem nominare: illosq; syrupos, julepos, & apozemata vocare digestiva, quæ occlusas vias recludunt, & humores ad feliciorem commodioremq; evacuationem disponunt. Verum concoctio est impropriè: propriè autem dispositio quædam peccantium humorum, ut faciliùs expurgari possint. Impropriè concoctionem esse patet inde: quia præparatio hæc est artis: concoctio naturæ. Præparatio fit à principio externo: remediis scilicet aperientibus, attenuantibus, incidentibus, detergentibus, &c: concoctio à principio interno: proprio nimirum innatoq; calore: ut habet definitio Aristotelis l.4.meteor.c.2. Præparatio versatur circa humores vitiosos, qui eliminandi: concoctio circa res, quæ corporis inserviunt nutritioni. Præparatio dirigitur ad evacuationem, ut corpus reddatur purius: concoctio ad nutritionem. Præparatio est levis quædam humorum expurgandorum alteratio in qualitatibus primis & secundis: concoctio perfectio, sive absolutio temperamenti. Nam quando in misto corpore, quod jam per formam suam est constitutum, aliqua adhuc in temperamento est imperfectio, neq; humidum satis elaboratum, ut ad siccum, & reliquas qualitates justam habeat proportionem, si à calore proprio ac nativo humidum abundans cōsumatur; reliquum verò elaboretur, & ita cum sicco uniatur, quemadmodum misti natura postulat, coqui dicitur à philosophis. Præparatio crassos humores incidit atq; attenuat: concoctio juxta*

Philosophum 4.met.c.3.incrassat. Est ergò inter præparationem banc & propriè dictam concoctionem notabile discrimen & in causa efficiente principali: & in instrumentali: & in materia: & in fine: & in forma: & in effectu. *Hac accedit, quòd præparatio ad nullam concoctionis speciem referri possit. Tres enim Aristoteles l.4.meteor.c.3.tradit: Maturationem, Elixationem, & Assationem. At præparationem nullam earum esse, ex definitionibus singularum liquet. Itaq; qui vult cum vulgò loqui, & præparationem istam nuncupare πέψιν, loquatur sanè: dummodò sentiat cum doctis & peritis: & πέψιν impropriè dictam esse statuat.*

II.

Num bilis flava aliqua ante purgationem opus habeat præparatione? *Bilis vacuanda varia est & multiplex. Nam ratione consistentiæ alia crassa est, ut vitellina: alia tenuis, valdèq; fluxilis. Ratione temperamenti alia fervida est, acris, atque erodens: ut prasina, sive porracea, æruginosa, ἰσατώδης, seu glastea: alia mitior, nulla erodendi vi prædita: qualis in ictero cernitur. Ex quibus quæ tenuis est & mitior, nulla præparatione opus habere videtur. Illa enim propter tenuitatem & fluxibilitatem substantiæ promptè trahenti pharmaco, & expellenti naturæ cedit. Hæc verò cum corrodendi facultatis sit expers, partibus, quas transit, nullam parit molestiam. Crassa verò & valdè acris, antequam purgetur, præparanda. Illa quidem attenuantibus: v.g. syr.acetoso simpl. syr.de limon. oxysacch.simpl. syr. de cichor. syr. de endiv. syr.bizantin. admistis aquis convenientibus & appropriatis: utpote cichor. endiv. acetos. melon. gram. hord. taraxac. fragor. &c. vel apozemate ex rad. cichor. gramin. asparag. oxalid. herb. capill. ven. eupator. hepatic. sem. frigid. majorib. &c. Hæc verò lenientibus, mitigantibus, contemperantibus, sive demulcentibus: e.c. syr. violar. syr. nymph. syr. bugloss. syr. borrag. syr. granator. syr. rib. syr. de agresta, syr. auranc. syr. de portulaca, &c. cum*

aq.viol.

aq.viol.nymph.acetos.portul.borrag.bugloß.lactuc.cichor. endiv. &c. His enim fervor illius atque acrimonia obtunditur & frænatur.

III.

Vtrum præparandæ pituitæ crassæ & glutinosæ calida tantùm: an verò etiam frigida conveniant medicamina? *Extra controversiam est, pituitam istam ante purgationis actum præparandam esse attenuantibus, incidentibus, atque detergentibus. Nam quia crassa, angustos venarum meatus transire nequit: & quia glutinosa, lenta, ac viscida, parietibus venarum, illarumque partium, per quas educenda, tenaciter adhæret, minimèque trahenti pharmaco, & extrudenti naturæ obsecundatur. Quam ob causam veteres Græci sua conficiebant apozemata,* προποτίσματα *ipsis appellata, quasi purgationibus prævias potiones dicas: quòd catharticis viam quasi sternant. Verum cum vis attenuatoria, incisoria, aperitiva, & detersoria non calidis tantum insit simplicibus, acribus scil. amaris, salsis, atque nitrosis: verum etiam quibusdam frigidis: v.g. aceto, succo limon. succo citri, rad. cichor. rad. gramin. 4. seminib. frig. maior. endiv. hordeo; &c. & ex compositis syr. acetos. simpl. oxysacch. simpl. syr. limon. syr. de endiv. syr. de cichor. syr. bizant. cum aceto &c. haud immeritò quæritur, an in pituitæ præparatione etiam frigida hæc usurpari queant? Ratio dubitationis videtur esse triplex. I. quia pituita frigida est. Itaque per legem contrarietatis calida illi competunt. II. quia attenuanda, ut faciliùs evacuetur. Atqui frigida incrassant. III. quia Galenus quando frigidos, crudos, phlegmaticosque humores præparat, simplicibus utitur calidis; iisque attenuantibus, incidentibus, aperientibus, & detergentibus, in oxymelite, aut melicrato decoctis: nempe hyssopo, origano, calamintha, pulegio, tragorigano, thymo, satureia, thymbra &c. quemadmodum tùm ex locis aliis, tùm ex l. quos &c. purgare oportet: nec non ex l. de cur. rat. per S. M. c. 12. & 18. & comment. 1. aphor. 24. patet.* Arbi-

tramur, *Maximam illam de contrarietate remediorum temerè violandam non esse. Non enim in morbis tantùm locum habet: sed etiam in causis eorum, & symptomatibus: uti pulchrè ostendit Galenus lib. 11. meth. med. c. 12. Vtendum ergo calidis, cùm pituita in morbis frigidis, v. g. paralysi, colica, caro, asthmate, spasmo &c. tempore hyberno, regione frigida, & natura frigida præparanda: e. c. syr. è duab. & quinq; radic. syr. de beton. syr. de stœchade, syr. capill. ven. syr. de absinth. syr. de hyssop. syr. de calaminth. cum aq. fœnic. apij, petrosel. hyssop. beton. &c. vel apozemate ex rad. 5. aperit. rad. helen. angel. pimpinell. iridis, herb. hyssop. orig. calam. satur. thym. puleg. serpyll. chamædr. chamæpith. beton. cent. min. &c. additis syrupis commemoratis. Sic enim præparantia & affectibus præter naturam: & excessui subjecti patientis opponuntur. Vtendum verò frigidis, cùm pituita alicujus febris, æstivo tempore, in regione calida, calidaq; temperatura causa existit. Hac namque ratione & ipsa causa præparatur: quia dictum antea, etiam multa frigida vi attenuandi, incidendi, aperiendi, detergendiq; pollere: & ratio etiam anni temporis, regionis, naturæq; decumbentis habetur.* Ad primam verò rationem *in oppositum allatam respondemus, non tam pituitæ frigiditatem, quàm crassitiẽ & lentorem emendari, cùm ad expurgationem præparatur. Itaq; & tùm contrarietatis legem observari, cum illius craßities & visciditas attenuatur, inciditur, atq; abstergitur: sive hoc calidis, sive frigidis perficiatur pharmacis.* Ad secundam *dicimus, frigoris quidem per se, & in sua natura considerati, esse incraßare: sicuti caloris attenuare: nil tamen obstare, quo minus frigida quædam tùm simplicia, tùm composita, non quidem frigiditatis, sed tenuitatis substantiæ suæ causâ facultatem incidendi attenuandiq; habeant. Nam cum tenujum sint partium, facilè se in crassam pituitam insinuant, ejusq; partes compactas divellunt.* Ad tertiam *responsio patet ex modò dictis. Galenus, quando frigidos, crudos, phlegmaticosq; humores præparat, ut plurimùm quidem*

dem calefacientia adhibet: quia & ad causam, & ad affectum frigidum inde natum respicit. Aliquando tamen etiam refrigerantibus utitur: sed incidentibus simul atq; extenuantibus: si cruditas illa febri occasionem dedit. Sic enim materiam ad evacuationem disponit, habilemq; reddit: & febrim tamen minimè auget. Cujus rei exemplum habemus l.12. meth. med. c.3. ubi de curatione eorum agit, qui ex summa crudorum succorum copia febricitantes syncope facilimè corripiuntur. Inter cætera enim præsidiorum genera ad apertionem, abstersionem, incisionem, & attenuationem etiam oxymel simplex, quod ex aqua, aceto, & melle paratur, usurpat: neq; aceti ratione formidandum esse monet. Esse enim illud sic affectis minimè incommodum. Præclarum quoque sese exemplum apud Avicennam offert in tract. de syr. acetoso c. 2. ubi inter cætera princeps scribit, accommodatum valdè hunc esse syrupum iis, qui ex crasso lentoq; phlegmate febricitant: eò quòd non solùm ipsius causæ curam gerat, quam incidit, attenuat, atq; abstergit: verum etiam febris, cujus incendium extinguit. Quod si, subdit idem, solertes quandoq; Medici concedunt, ut per exhibitionem alicujus medicinæ augeatur caliditas febrilis: dummodò per eam causa illius tollatur: multò certè promptiùs, multòq; celeriùs syrupus acetosus offerendus erit: ut qui & febris obtundat fervorem, & materiam ejus, eo, quo comprehensum, modo præparet. Paratur enim ut ex cap. 1. eiusdem tractatus apparet, ex aqua, aceto, & saccharo. Itaq; ratione aquæ & aceti refrigerat: ratione aceti aperit, incidit, & subtiliat: ratione deniq; sacchari detergit. Probat enim Avicenna illorum Medicorum sententiam, qui in dispensatione hujus syrupi loco mellis saccharum eligunt: eò quod melli in calore cedat: neq; ita facilè, ut mel, in calidis corporibus bilescat.

IV.

An præparatio humoris melancholici & atræ bilis iisdem peragatur medicamentis? *Medicamenta utrumque humo-*

humorem præparantia vim quidem attenuandi, incidendi, & humectandi habere tenentur: quia uterq; crassus est, siccus, & terrenus. Est enim succus melancholicus juxta Galenum l.2. de temperam. c.3. & l. de atra bile c.3. veluti sedimentum & limus sanguinis. Atra verò bilis tanquam cinis quidam, & fæx usta: quemadmodum idem l.2. de nat. fac. c.9. loquitur. At quæ humorem melancholicum præparant, moderatè calida esse debent: quia ipse frigidus est: Gal. l.2. de temperam. c.3. Quæ verò atram bilem præparant, frigida: quoniam ipsa calida. Est enim uniuscujusq; humoris torrefacti veluti cinis: teste Avicenna l.1. can. fen. 1. doctr. 4. c.1. & l.4. can. fen. 1. tract. 2. c.62. Nam generatur & ex humore melancholico adusto: & ex bile torrefacta; Gal. l. de atra bile c.3. & ex sanguine supra modum assato: ibid. c.4. & l.2. de febr. diff. c.9. & ex pituita tosta: Avicen. loc. alleg. Itaq; ad succum melancholicum præparandum apti sunt Iulepi ex syr. de fumar. syr. de scolopendr. syr. de lupul. syr. de polypod. syr. de melissophyll. syr. de epith. cum aq. fumar. ling. cervin. lupul. cuscut. asplen. flor. genistæ, meliss. Ad atram verò bilem præparandam idonei sunt illi qui ex syr. de pomis redolentib. syr. borrag. syr. bugloß. syr. viol. syr. bizant. cum aceto, aq. borrag. bugl. viol. nymph. cich. endiv. acetos. &c. conficiuntur.

V.

Sintne præparantibus illa præmittenda medicamina, quæ lenitiva vulgò, aliâs ἐκκοπρωτικά, quod primas vias mūdificent, appellā ur? *Si in nostro positum est arbitrio, purgationem aliquantisper procrastinare, lenitiva præparantibus utiliter præmittuntur seqq. de causis. I. ut cloacâ primarum viarum expurgatâ citiùs & faciliùs ad præparandam materiam penetrent. II. ut, quantum licet, viribus ad eam penetrent salvis & integris. Obtundi namq; & hebetari possunt ab illuvie excrementorum primarum viarum. III. ne, cum ob tenuitatem substantiæ altè penetrent, sordes secum rapiant, inq; genus venosum deferant: sicque obstructiones, quæ reserandæ, augeant.*

VI. An

VI.

An tenues humores, quales sunt serosi & biliosi, ante purgationem incrassandi? *Ajentem defendit Avicenna l.4. Can. fen.1. tract.2. c.7. ubi de generali putridarum febrium curatione agit. Inquit enim, genericam harum febrium* θεράπειαν *versari circa duo: nimirum circa febrem ipsam: & circa illius materiam. Ratione febris opus esse refrigeratione: ratione verò materiei digestione, sive maturatione & concoctione, aut evacuatione. Digestionem verò perfici duobus remediorum generibus: vel attenuantibus, si materia sit crassa: vel incrassantibus, si tenuis. Quæ sententia 5. stabiliri potest rationibus. I. quia omnis concoctio iuxta Aristotelem l. 4. meteor. c.3. fit incrassando. II. quia problem. 2 dictum, acrem calidamq; bilem, quæ tenuis, præparandā esse refrigerantibus. Atqui hæc incrassant. III. quia eadē videtur esse ratio in purgatione, quæ in excreatione. Nā quemadmodum parum admodum expuitur, licet tussiatur validè, si materia validè tenuis sit, aut tenax atq; crassa: multum contrà, si mediocriter sese habeat: h.e. neq; tenuis admodum, neq; crassa, aut lenta nimis existat. Quæ enim tussi eÿciuntur ex pulmonibus, non nisi per plurimum spiritum eÿciūtur. Atqui tenues humores, cum sublevati sunt, inter tussiendum à spiritu divisi retrò fluunt: lenti verò, aut validè crassi difficulter efferuntur: utpote qui non tàm facilè à corporibus, quibus impacti sunt, abstergi: neq; etiam à quavis occurrentis spiritus violentia impelli possint. Nisi enim spiritus, qui tusßiendo effertur, & multus, & vehemens fuerit, nihil secum educet: authore Galeno lib. 4. de loc. aff. c. 8. Ita commodiùs & faciliùs illi humores per alvum expurgantur, qui neq; admodum tenues: neq; nimis crassi: sed in substantia sunt mediocres. IV. quia practici tenues humores capitis in pulmones & pectus destillantes crassiores reddunt. V. quia natura in morbis biliosis bilem non in principio, quo tenuis & cruda est; sed in fine vigoris, aut principio declinationis expellit, quando cocta, & per*

H

consequens crassior facta. Proinde idem institutum Medico etiam imitandum: & antequam bilem educat, incrassanda. Vnde Galenus lib. de art. constit. c. 19. monet, crassum lentumq́ humorem attenuandum esse: tenuem verò crassiorem faciendum. Contrà negantem tuentur *Averroës l. 7. coll. c. 9. Falloppius in tract. de med. purg. simpl. c. 5. Fernelius l. 3. meth. c. 12. & Fuchsius in Instit. l. 2. f. 5. c. 19 quorum sententiæ suffragamur: dicimusq́, tenues humores ante purgationem neutiquam incrassandos esse. Rationes sunt sequentes: I. quia finis præparationis est, ut corpus fluidum fiat. Fluidum autem fit, inquit Galen. comment. 2. aphor. 9. si non solùm obstructæ viæ aperiantur: sed etiam crassi glutinosiq́ humores attenuentur & incidantur. Itaq́ si crassi humores propterea attenuandi sunt, ut purgatio facilè feliciterq́ succedat: tenues certè nequaquam incrassandi erunt: quia ijs incrassatis, corpus minimè fluidum fiet. II. quia tenues humores maximè sunt fluidi: adeoq́ ad evacuationem prompti atq́ parati, modò viæ, per quas transire debent, sint apertæ. Crassi contrà ad motum segnes atq́ difficiles: id quod Hippocrates l. de nat. hum. & Galenus l. 14. meth. med. c. 17. l. de purg. med. c 3. l. 2. de elem. c. 4. l. 3. simpl. c. 27. nec non comment. 3. in prognost. Hippocr. t. 23. ostendunt. Quare illi quidem non incrassandi. In purgationibus enim tales decet esse humores, qui trahenti pharmaco facilè cedant, ejusq́ impetum promptè sequantur. III. quia in contrarijs contraria est ratio. Ergò si crassi humores subtiliandi: tenues nullo modo incrassandi.* Ad primam *verò* rationem *pro ajente responsio patet ex probl. 1. quo probatum, præparationem humorū purgationi præmissam concoctionem propriè non esse. Itaq́ necesse non est, ut ad imitationem naturæ concoquentis incrassentur.* Ad secundam. *Dictum fuit probl. 3. non omnia frigida medicamina incrassare: sed quædam etiam attenuare: quæ scil. tenuem subtilemq́ substantiā habent.* Ad tertiam. *Dispar est excreationis & purgationis ratio. Illa enim impulsu fit aëris, ad quem debita eius, quod expellendum*

lendum, resistentia requiritur: quæ sanè in mediocritate substantiæ consistit. Hæc verò attractoria cathartici medicaminis, & expultrice facultate perficitur. Ideòq́ quò tenuior ac mobilior fuerit humor, eò faciliùs à pharmaco per angustos meatus trahetur, expeditiùsq́ expelletur. Ad quartam. *Dispar rursus est ratio. Nam tenues humores, qui à capite in pectus delabuntur, non eum in finem crassefiunt à medendi artificibus, ut evacuentur faciliùs: sed ut in capite maneant, neq́ ampliùs destillent, molestiasq́ homini pariant: tussim v. g. vigilias, spirandi difficultatem, exesionem pulmonum &c. At tenues humores, de quibus impræsentiarum nobis est sermo, in corpore manere non debent: sed per pharmacum expurgari. Itaq́ non, ut illi, incrassandi. Ratio est: quia quò tenuiores liquidioresq́ sunt, eò ad effluendum sunt aptiores. Quò crassiores, eò imparatiores.* Ad quintam. *Fallacia committitur à non causâ ut causâ. Causa enim, quòd bilis in progressu morbi facilè excernatur, non est, quòd crassior facta: sed quòd concocta, victa, & ab utilibus humoribus separata: quòdq́ natura eam prorsus vacuare contendat. Quod si natura bilem citra incrassationem concoquere posset, faceret utiq́: quoniam ad evacuationem eam postea haberet faciliorem promptioremq́. Itaq́ hæc bilis incrassatio, quæ præter primam ac præcipuam naturæ fit intentionem, in ejus præparatione imitanda non est: tùm quia præparatio non est concoctio: tùm quia is est præparationis scopus, ut humores citò, tutò, atq́ jucundè expurgari possint. Sic autem expurgantur, non cùm incrassati: sed cùm attenuati, incisi, detersi, aut mitigati, si fuerunt acriores: cùmq́ viæ, per quas educendi, patefactæ.* Galeni verò locum *ex l. de constit. art. c. 19. adductum quod attinet, dicimus, eum impertinenter admodũ ad probationem θέσεως affirmantis adhiberi. Non enim Galenus de præparatione humorum evacuandorum: sed de alteratione, & in statum naturalem reductione eorum loquitur, qui in corpore retinendi.*

VII.

An aliquà temporum morbi in præscriptione purgationis habenda ratio? *Nulla videtur empiricis. Ideòque quovis morbi tempore eos purgare videmus. Ratio ipsis subministrari posset quadruplex. I. quia tempus morbi ex indicantium propriè dictorum numero non est: quemadmodum planum fecimus problem. 3. disp. de ven. sect. 27. II. quia spontaneas fieri vacuationes quovis morbi tempore observamus. III. quia nil refert, quo tempore purgetur: dummodò causa morbi tollatur. IV. quia magis ad indicantem* κακοχυμίαν, *quæ quovis tempore adest, respiciendum, quàm ad circumstantias externas.* Verum *longè aliter sentiunt, qui rationalium dogmaticorumq; Medicorum scholam sectantur: uti ostendemus.* Itaque ad primum argumentum *respondemus: licet morbi tempus indicans non sit: signum tamen esse & dispositionis humorum morbificorum: & virium naturæ cum illis decertantis. Nam in principio morborum humores adhuc sunt crudi: in augmento rudimentum solùm* πεπασμοῦ *apparet: in vigore maxima naturæ lucta est cum humoribus & morbo: & utplurimùm natura ipsa humores extrudere satagit: in declinatione vis naturæ est defatigata: morbusq; & morbifici humores victi atq; edomiti. Itaq; etsi morbi tempora per se ipsa nihil indicent: signa tamen sunt eorum, quæ vel permittere, vel prohibere purgationem possunt.* Ad secundum. *Spontaneæ vacuationes sunt duplices: criticæ & symptomaticæ. Ex quibus criticas solùm imitandas censemus: quòd cum* εὐφορίᾳ *fiant ægrotantis: nequaquam symptomaticas: quòd illum nihil juvent. Atqui criticæ non quovis morbi tempore: sed vel in vigore: vel in principio declinationis, quo humores morbifici sunt concocti, fieri solent. Nũquam enim in principio fiunt: quia materia adhuc est cruda. Natura autem in more positum habet, ut primùm coquat: deinde mala à bonis secernat: tandem illa excernat. Unde Hippocrates excretiones in principiis morborum factas, utpote symptomaticas,*

perpetuò

perpetuò damnat: quemadmodum constat ex aphor. 22. s. 4. In cujus commento Galenus quæ diximus, egregiè confirmat his verbis: quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur ratione naturæ: sed omnia sunt symptomata eorum affectuum, qui sunt præter naturam in corpore. Quo enim tempore natura à causis morbificis gravatur: adest autem cruditas humorum, tunc aliquid benè evacuari est impossibile. Nam oportet præire πέψιν, *coctionem: subsequi* διάκρισιν, *secretionem: & tandem supervenire* ἔκκρισιν, *excretionem, ut bona & salutaris sit* κρίσις. *Id quod & Hippocratem docuisse testatur l. 1. epid. s. 2. constit. temp. 1. hunc in modum scribentem: coctiones* κρίσεως *celeritatem, salutisq; securitatem significant. Cruda verò, & inconcocta, & in malos abscessus conversa, aut* κρίσεως *carentiã, aut dolores, aut longitudinem, aut mortem, aut malorum eorundem recidivas, portendere. Quando ergò, subdit idem Galenus, post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, corpus à natura expurgatur criticè. Cùm v. excernitur sine prægressis concoctionis signis, casus est exitialis. Quare cum in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala semper erit talium humorum evacuatio. Hactenus Galenus.* Ad tertium. *Imò refert plurimùm, quo tempore purgetur in morbis. Neq; causa morbifica quovis tempore eximi potest. Non enim semper adminiculantem naturam habet Medicus: sed tùm solùm, cùm materia est cocta, & à reliqua humorũ massa segregata. Aliâs aut parum purgat: aut non purgat quæ purganda: aut utilia unà cum inutilibus purgat: aut magna cum molestia, gravibusq; symptomatibus purgat: naturamq; suo ab officio avocat: & vires tantùm frangit; quæ tamen summè necessariæ: ut natura hosti resistere, & victoriam tandem reportare queat.* Ad quartum. *In legitimo remediorum usu non solùm attendenda præsentia indicantis: sed etiam absentia prohibentis: diligenterque perpendendum, an id, quod v. g. à materia morbifica indicatur, etiam ab alijs permittatur. Sæpè enim tanta vis est rei prohi-*

bentis, quanta indicantis. Sic licet κακοχυμία semper adsit in morbis ex ea genitis, adeoq; ab illa purgatio indicetur: non semper tamen, & quovis morbi tempore ad illius executionem accedere fas est. Multa enim illam prohibere possunt: nimirum materia, natura, viæ, & virtus. Materia, quia adhuc cruda, & nondum sequestrata. Natura, quoniam circa materiei coctionem & sequestrationem occupata. Viæ, quia clausæ & interceptæ. Virtus, quia debilior, quàm ut purgationem sufficientem ferre queat.

VIII.

Vtrum in morbi principio purgare liceat? De tempore purgationis disserere necessarium summè est. Rectè enim fit, quod fit opportunè. Et medicina, inquit Poëta, convenienti data tempore prodest: non apto exhibita, nocet. Quam ob causam Hippocrates in limine statim suorum aphorismorum τοῦ καιροῦ, occasionis, quæ, ut Cicero monet, illa temporis pars est, quæ in se alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem continet, meminit: tacitè innuens, magnam illius rationem habendam esse. Ad quæsitum ergò respondemus duplici, adhibita distinctione: una purgantium: altera casus. Quantum ad purgantia attinet, rogatur hîc non de lenitivis, & ἐκκοπρωτικοῖς, quæ primas duntaxat vias purificant, & ultra hepar vires suas non exerunt: multòque minus peccantem materiam, quæ in vasis delitescit, attingunt. Hæc enim etiam in principio usurpari posse omnibus est in confesso: quòd vias, per quas morbifica materia ducenda, reddant liberas: ipsamq; naturam nonnihil exonerent: quæ exonerata ad morbificos humoros tùm concoquendos, tùm expellendos fit promptior atq; alacrior. Sed de solutivis, quæ trahunt è longinquo, & humores morbum creantes aggrediuntur. Hæc igitur in casu quidem extraordinario, & necessitatis admittunt artis dictatores: quemadmodum sequenti disputatione σὺν θεῷ exponemus. In ordinario verò & regulari nequaquam. Testes sunt Hippocrates aphor. 22. sect. 1. aphor. 24. sect. 1. & in lib. de vict. acut. Galenus in

comm.

comm.aphor.alleg.& comment.4.in l.de vict.ac.t.38.Oribasius l.7. collect.c.23. & l.1.synops.c.16. Aëtius tetr.1.serm.3.c.23. Avicenna l.4.can.fen.1.tract.2.c.7. Neq; desunt rationes. *I. est: quia materia in principio morbi cruda est: quam natura, cujus adjutor & imitator Medicus esse debet, concoquere, & ad statum meliorem reducere; non expellere studet. Itaq; si Medicus purgaret, naturam minimè haberet adminiculantem: cũ tamen utriusq; principij actio ad purgationem requiratur: nimirum tractio medicamenti purgantis, & expulsio naturæ. Habet autem illam adjutricem, si concoctione facta purget. Nam & ipsa post coctiones & humores solet separare, & superfluitates excernere: quemadmodum eruditè & eleganter Galenus docet comm. 1. aphor. 22. & ex parte l.1.de Crisib.c.9. II. quia in principio nihil notatu dignũ educitur. Causa est: quoniam humores adhuc sunt crudi: & cõsequenter pigri, atq; ad motum inepti: idq; propter crassitiem & frigiditatem: teste Galeno l.4.de tuend.san.c.5. III. quia humores in principio, cum crudi sint, ac proinde stabiles atq; fixi, difficulter tractibus purgantium medicaminũ obediunt: Galenus l.1.de cris.c.9. IV. quia purgatio in principio labriosa est atque molesta: utpote cum torminibus, rosionibus, animiq; deliquiis conjuncta: idq; propter cruditatem humorum, qui ægrè cedunt: Galen.l.4.de san.tuend.c.5, V. quia non ipsi modò non educuntur: sed etiam alios, quò minus evacuentur, impediunt. Ratio est: quoniam propter cruditatem & crassitiem omnes angustas vias obstruunt: per quas id, quod medicamentum deijcit, ad alvum ferri debet: Galenus ibid. VI. quia Hippocrates inflammationum exemplo ostendit, quàm inepta sit purgatio in principio. Videatur probl.3: disp.3.de purg. ubi verba Hipp.ex lib.de vict.acut. recitata: quæ Galenus in comm. 4. illius libri t.22. nec non l.1. de cris.c.9.repetit. VII. quia purgatio in principio administrata naturam à suo officio avocat, vires frangit, ut facilè postea succũbant.*

cumbant, & morbum vel planè non, vel non nisi longo tempore vincere possint: humores denique, qui adhuc confusi, magis confundit, turbat, & si vehementior sit, non minus utiles, quàm inutiles extrahit.

ΠΑΡΕΡΓΑ

I.

An juvenile corpus robore, & viribus superet virile? A.

II.

Utrum χύλωσις & αἱμάτωσις rectiùs generationes, quàm concoctiones dicantur? A.

III.

Rectène dicat Hippocrates l. 2. de diæt. segnitiem & otium corpus humectare & debilitare: laborem contrà illud siccare, & robustius reddere? A.

IV.

Num approbandum illud Galeni .l. de cur. rat. per S. M. c. 7. crapulæ & gulæ deditos neque purgandos, neque alia ratione vacuandos esse? A. quia redeunt ad pristinum, sicut canes ad vomitum. Itaque oleum & opera perditur.

V.

An verùm illud Celsi & Plinii, sale, sole, & siti hydrops curatur? D.

VI.

An Aristoteles l. 2. de an. c. 3. famem rectè appetitũ calidi & sicci; sitim contrà frigidi atque humidi definiat? A.

FINIS.

18

DISPUTATIO DE PURGATIONE SEPTIMA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore Medico:

Respondente

M. JOHANNE JACOBO FABRO
Kyrnâ-Hunno.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



VIRIS

GENERIS SPLENDORE, AMPLITUDINE, PRUDENTIA, VIRTUTUM laude & integritate eminentißimis, pervetustæ, liberæ, & imperialis Reipubl. Vormatiensis, Scholarchis, Protocoß. ac Tredecimviris laudatißimis:

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO Weber/ von Wormbs/ SENIORI exoptatiss:

DN. JOHANNI Stephann:

DN. MICHAELI STROMERO:

NEC NON

Spectatissimo, Integerrimoq; Viro,

DN. NICOLAO SCHIPPELIO, Consuli ibid. meritiss. Agnato honorando:

UT ET

Eruditionis & doctrinæ excellentiâ insignibus,

DN. NICOLAO PARMANNO, Doctori Medico eximio:

DN. FRIDERICO FLACHT, Philos. ac Med. Doctori excellentissimo,

Μελέτημα *hocce Medicum*

In gratæ mentis μνημόσυνον, *& observantiæ debitæ* τεκμήριον

Dn. Fautoribus, Promotoribus & Patronis devotè suspiciendis

Consecro & inscribo

M. JOHANNES JACOBUS FABER.

PROBLEMA I.



An in augmento morbi purgandum? Hîc rursus nobis non de mitioribus illis catharticis sermo est, quorum vis ultra hepar sese minimè extendit; neq́ de jis humoribus verba nunc facimus, qui in ventriculo, intestinis, mesenterio, cavo jecoris, liene, locisq́ vicinis continentur. Hi enim dictis catharticis & in principio, & in augmento morbi expurgari possunt. I. quia ijs evacuatis, via sternitur humoribus morbificis, qui, concocti si fuerint, vel à naturâ, vel à Medico, vel ab utroq́ agente per loca enumerata educendi. II. quia natura nonnihil exoneratur. Ideòq́ ad humores morbificos tùm maturandos, tùm expellendos, promptior fit atq́ alacrior. III. quia frustrà illorum expectatur concoctio. Consistũt enim in vijs primis. Itaq́ concoctionis eorum indicia in urinis minimè apparent. Est namq́ urina illorum potissimùm succorum signum, qui in vasis sunt siti. IV. quia concoctio eorum non magnoperè necessaria videtur. Facilè siquidem in alvum deturbari queunt: cum viæ, per quas transire necesse habent, sint breves, expeditæ, satisq́ amplæ: aut amplis saltem valdè propinquæ. V. quia à bono sanguine ferè sunt secreti. Quare & in principio, & in augmento, & in vigoris initio expurgari possunt. Si tamen crassi sint atq́ lenti, priùs attenuantibus & detergentibus præparandi: & si viæ fortè sint obstructæ, reserandæ. Sed disputatio nobis jam est de humoribus in majoribus vasis conclusis, aut circum hæc aliqua sede coërcitis: deq́ catharticis, quæ purgant validiùs, quæq́ istos humores attingunt. His ergò in augmento morbi utendum non esse, inde constat: quia humores nondum integrè sunt concocti. Exquisita namq́ eorum concoctio non apparet, nisi tempore vigoris, sive status: teste Galeno l.3. de crisib. c. 5. Atqui πέπονα δεῖ φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, inquit Hipp. aphor. 22. s. 1. concocta medicari & movere decet: non cruda. Hæc enim purgãtibus minimè cedunt, neq́ à natura excernuntur. Itaq́ si purgatio

eorum tentetur, gravia excitantur symptomata: uti problem. ult. disp. 6. monstratum. Præterea *in augmento natura cum morbo descendit in arenam, pugnamq́ue cum eo inire incipit: hocq́ue unum intendit, ut morbificos humores coquat, secernat, tandemq́ue excernat. Quare hoc illius studium minimè turbandum, aut impediendum intempestivâ φαρμακείᾳ: sed modis & rationibus cunctis imitandum, juvandum, promovendumq́ue Medico: siquidem imitator, adjutor, atq́ue minister naturæ audire velit.* Denique *crescente morbo etiam symptomata invalescunt: quorum causâ natura haud mediocriter fatigatur, debilitaturq́ue. Non ergò purgantibus lassanda, enervandaq́ue magis: sed roboranda potius, & suo in instituto confirmanda: ut, quod intendit, obtinere: ipsamq́ue reportare victoriam queat.*

II.

An in vigore morbi purgandum? *Quemadmodum quodlibet anni tempus in principium, medium, & finem dividi solet: sic haud absurdè quodvis etiam morbi tempus dispesci potest: velut colligitur ex Gal. l. de tempor. morb. c. 5. In fine ergò vigoris purgari posse authores concedunt. I. quia morbifica materia cocta, & à reliqua humorum massa puriore secreta. II. quia natura ipsa ut plurimùm eo tempore excretiones molitur: quemadmodum Galenus passim in libris de crisibus ostendit. Habet ergò Medicus tunc temporis naturam adminiculantem. In vigoris autē principio & medio purgationibus interdicunt. I. quia Hippocrates scribit aphor. 29. sect. 1.* νόσων ἀκμαζουσῶν ἡσυχίην ἔχειν βέλτιον εἶναι, *vigentibus morbis quiescere melius esse. Ratio est: quia Gal. l. 3. de crisib. & comm. 2. aphor. 29. ait, in vigore morborum coctiones maximè fieri. Itaq́ue natura ab opere suo minimè distrahenda. II. quia adhuc dubium, per quam viam natura vacuationem molitura sit: cujus tamen motum & inclinationem, siquidem sit idonea, sequi Medicus tenetur: authore Galeno comm. 1. aph. 21. juxta illud Hippocratis: quæ educere oportet, quò maximè*

vergere videntur, ducito. Aphor. 21. s. 1. III. quia natura acerrimè cum morbo, ejusq; causa luctatur: hancq; ob causam fatigatur maximè. Quapropter non fatiganda magis catharticis medicaminibus videtur.

III.

Utrum purgandum in morbi declinatione? *Pro negante adferri possent rationes sequentes. I. quia Galenus comment. 2. aphor. 29. dicit, superfluum esse, vacuare, quando natura jam concoxit, cùm propter alia: tùm quia vis animalis maxima ex parte eo tempore est fatigata. Atqui iam in vigore concoxit: ut suprà ex l. 3. de crisib. c. 5. significavimus: mirumq; in modum propter prægressum certamen, quod potissimum vigoris tempore cũ hoste suo sustinuit, est delassata. II. quia natura ipsa judicare solet. Sed quæ judicantur, & judicata sunt, non movenda: judicio Hippocratis aphor. 20. sect. 1. III. quia in declinatione natura facta superior: morbumq; vicit. Ideòq; nulla vacuatione opus videtur. Fieri enim nequit, inquit Galenus l. 3. de crisibus c. 5. ut in declinatione æger moriatur.* Verum *distinctè nobis respõdendum videtur. Nam non in quavis declinationis parte: sed tãtùm in illius principio: & quidem tùm solùm purgandum censemus, cùm natura vel prorsus non judicat: vel imperfectè saltem judicat. Etenim si natura non iudicat, cum tamen ea sit morbi ratio, ut per alvum judicare deberet: licet mitiora remißioraq; omnia sint symptomata, purgante pharmaco materiam morbificã eximere decet: revocantes in memoriam illud, quod ab Hippocrate aphor. 27. sect. 2 scriptum: ijs, quæ præter rationem levant, nimirum, ut Galenus explicat in commento, sine manifesta aliqua vacuatione per sudorem, vomitum, alvi excretionem, aut sanguinis profluvium, minimè fidendum. Cum enim causa adhuc persistat, recidivam minari, pejusq; reverti consueverunt. Huc accedit & illa ratio: quoniam naturá artis beneficio aliqua humorum sarcina, qua gravabatur, sublevata, sæpè ad officium redit, &*

quod antea humorum onere pressa excernere nequibat, exonerata, leviorq́; & quasi sui juris facta, excernit facilè: præsertim cum vitiosi humores jam sint concocti, secreti, & ad evacuationem præparati. Quod si judicat *quidem, sed imperfectè: idq́; aut propter imbecillitatem, aut humorum copiam, aut eorum crassitiem & lẽtorem, aut viarum difficultatem, juvanda: & quod derelictum, arte detrahendum: Gal. comm. 1. aphor. 22. Nam quæ in morbis post* κρίσιν *relinquuntur, inquit Medicinæ dictator aphor. 12. sectio. 2. recidivos morbos facere consueverunt. Si* verò ἀρτίως καὶ ἀπαρτὶ, *h. e. integrè atq́; perfectè eadem morbificam materiam judicat, aut jam judicavit, nihil juxta aphor. 20. sect. 1. movendum: sed totum negotium illi committendum.* Ad primam *ergò* rationem *respondemus, Galenum purgatione interdicere, quando non solùm materia à natura est concocta, sed etiam expulsa. Licet autem expulsionis non meminerit explicitè: tacitè tamen atque implicitè illam ponit: tùm quia de morbi loquitur vigore, in quo plerunq́; κρίσεις fieri solent: tùm quia fatigatæ naturæ mentionem facit: quæ partim à causis aliis: partim verò à vacuationibus fatigari solet. Itaq́; temerè purgatur: cùm natura purgavit sufficienter.* Ad secundam *quid dicendum, patet ex modò dictis. Nam si κρίσις facta integra atq́; perfecta, qua nihil relictum materiei morbificæ, nihil purgandum. Sin imperfecta & deficiens, quod remansit, demendum, ne recidivum pariat. Atq́; hæc solutio habetur in aphorismo allegato 20. s. 1. Non enim sinenda, quæ quocũque modo judicãtur, & judicata sunt: sed quæ ἀρτίως: vel, ut in l. debum. Hipp. loquitur, ἀπαρτὶ,* cumulatè, plenè, integrè, perfectè, & indeficienter *judicata.* Ad tertiam. *Natura tùm dicitur morbum vicisse, cùm causam illius non modò concoxit, & à reliquis humoribus, qui utiles, separavit: verum etiam excrevit. Quamdiu enim hæc manet: tamdiu victoriam natura obtinuisse dici nõ potest. Semper enim illi à causa periculum aliquod imminet. Cum verò non semper in fine vigoris, aut declinatio-*

nis

nis principio excernat: aut saltem non integrè excernat: liquet, illius conatum imitandum, juvandumq́ Medico esse.

IV.

Num in principio morbi purgatio simpliciter & absolutè prohibeatur? *Principium ad purgationes ineptum esse, disput. 6. problem. 8. multis rationum momentis, itemq́ authoritate clarißimorum artis antesignanorum planum fecimus. Verum de* casu regulari & ordinario *sermo nobis erat: de* extraordinario & necessitatis *nequaquam. In hoc enim licitum esse purgantibus uti, authoritas & ratio suadent.* Authoritas *quidē Hippocratis aphor. 22. sect. 1. ubi dicit, concocta purgantibus educenda esse, non cruda, neq́ in principiis,* modò non turgeant. *Idem aphor. 10. sect. 4. inculcat. Purgandum, inquit, in valdè acutis, si* materia turgeat, *eodem ipso die. Differre enim in talibus malum. Et aphor. 29. sect. 2. ait: incipientibus morbis si quid movendum videtur, movendum esse. Vigentibus autem quiescere multò præstare. Denique aphor. 24. sect. 1. scribit, in morbis acutis rarò, & per initia medicamento purgante utendum esse. Nec verò id inconsideratè faciendum. Quibus aphorismis suffragatur Galenus in commentis: nec non l. 1. de crisib. c. 9. & l. 8. de compos. med. κ. τόπ. c. 3. Oribasius l. 7. collect. c. 23. & l. 1. synops. c. 16. Aëtius tetr. 1. serm. 3. c. 23. Actuarius l. 3. meth. med. c. 8. & Avicenna l. 4. can. fen. 1. tract. 2. c. 7. Est ergò secundum veteres hic ille necessitatis & extraordinarius casus, in quo statim in principio morbi, non expectata materici morbificæ concoctione, purgare licet, nimirum quando humores ὀργῶσι turgent: hoc est, ut Galenus comment. 1. aphor. 22. & comm. 4. aphor. 1. nec non comm. 4. aphor. 10. interpretatur, impetuosiore motu à parte ad partem fluunt. Vox quippe ὀργᾶν, inquit idem ibidem, necnon l. 1. de crisib. c. 9. & comm. 2. in l. 6. epid. t. 9. ab animalibus concubitum appetentibus ad humores corporis est translata. Nam quēadmodum illa stare loco nesciunt, quadam impulsa titillatione,*

eoq́

eoq; affectu concitata: sic & humores plerunq; in motu vehementiore atq; transfluxu à partibus ad partes in morbi principio hominem infestant, moventes, titillantes, & quiescere non permittentes: siquidem & ipsi pariter moveantur, transfluantq;, & titillatione ægrum molestent. Tales ergò humores, qui sunt in motu, latione, & fluxu, in principio statim, tametsi adhuc sint crudi, vacuandi sunt, inquit Gal. comm. 1. aphor. 22. Rationes *adfert tres, comm. aphor. 10. I. est: quia metuitur, ne, dum per corpus vagantur, ad partem aliquam principem decumbant. II. quia si differretur purgatio, adeò debilitari posset virtus ex illorum agitatione, ut vacuationem postea non ampliùs ferre valeret. III. quia febrilis caliditas ob caliditatem & acrimoniam eorum vires acquireret. IV. habetur l. 1. de cris. c. 9. quia natura facilem & adjutricem in expellendo se præbet. Ab inordinata quippe turgentium humorum agitatione quodammodo irritatur. V. nos addimus: quia turgentes humores haud difficulter educuntur: modò viæ sint liberæ & apertæ. Sunt enim tenues & mobiles: modò purgans adsit, quod eos quasi manu ducat: iisq; exitum monstret.* Ὀργᾷν *.n. Hippocrati etiam festinare ad exitũ significat: velut Galenus comm. 2. in l. de fract. t. 18. monet. Quare cum in eiusmodi casu duo sint indicantia contraria,* ὀργασμὸς *humorum, & cruditas; ex quibus ille quidem purgationem: hæc verò concoctionem & quietem postulat: satisfaciendum iuxta Galeni præceptum l. 3. meth. med. c. 9. videtur urgentiori: unde scil. maius graviusq; periculum ægrotanti imminet. Tale autem imminet à turgentibus humoribus. Itaq; illi in principio statim eximendi. Nam inter duo mala minus semper eligi debet: idq; priùs agendum, ex quo plus commodi, & minus damni in ægrotantem redundat. Cum verò is ex turgentium humorum vacuatione plus commodi sentiat, quàm ex coctione expectata: sequitur vacuationem coctioni præferendam esse.*

V.

An omnes humores turgere possint? *Negatur: sed*

tan-

tantùm calidi, tenues, acres, atq; mordaces: quales sunt biliosi, sanguis biliosus, serosi salsi. Ratio est duplex I. quia illi humores propriè turgere dicuntur, qui discurrunt in corpore impetuosè: vel qui errabundi hùc atq; illuc vagantur: nondumq; certum occupant locum: nec definitum habent motum: & verò hominem ita lacessunt ac vellicant, ut illum quiescere non sinant. At sic moueri possunt humores dicti: sicq; partes, per quas fluunt, stimulare: crassi verò & frigidi nequaquam. Sunt enim pigri, & ad eiusmodi motum inepti: teste Galeno l. 4. de tuend. san. c. 5. Nil quoq; acrimoniæ & mordacitatis habent. Aliâs non frigidi, sed calidi forent. II. quia Hippocrates aphor. 24 sect. 1. & aphor. 10. sect. 4. innuit, humores in acutis solùm morbis turgere. Sed acuti non à crassis & frigidis: verùm à calidis humoribus originem trahunt: velut Galenus comm. 2. aphor. 19. & in Isagog. c. 13. docet. Ait enim, acutas ægritudines à sangine ferè & bile proficisci: chronicas à pituita & melancholia. Libro 8. de decret. Hipp. & Plat. c. 6. scribit, acutissimas & ardentissimas febres fieri à bile flava. Deniq; comm. 2. in prognost. Hipp. t. 46. dicit, propriũ esse bilis flavæ, ut acutas accendat febres.

VI.

An, cum turget materia in acutis, semper in principio purgandum: & num illud semel, aut bis: validis an debilibus medicamentis peragendum? *Aristoteles ait lib. 2. sophist. elench. cap. 5. ad simplicem interrogationem unam: ad compositam verò* plures *esse dandas responsiones. Itaq; cum duo hic quærantur, duplex adferenda responsio.* Ad primam *autem* quæstionem *respondemus cum Galeno ex comm. 1. aphor. 24. circa initia quidem acutarum ægritudinum purgãdum esse, si humores turgeant: verùm cautè atq; circumspectè. Neq; enim, inquit idem, parvum periculum est in morbo acuto malè uti purgante medicamento: cum omnia cathartica potestate calida sint: febris verò, quæ utplurimùm acutis est adjuncta, teste eodem comm. 2. a-*

phor.19. sui ratione non calefacientibus atque exiccantibus: sed maximè contrariis, h. e. humectantibus & refrigerantibus opus habeat. Cautè verò purgamus, si non tantùm ad turgentes humores: verum etiam ad vires, vias, humores primorum conceptaculorum, partiumque imi ventris constitutionem respiciamus. Nam si vires sint debiles admodum: viæ clausæ prima conceptacula crudâ materiâ referta: aut partium aliqua imi ventris phlegmone obsessa, dissuadetur purgatio: etsi à turgentia humorum suadeatur. Tanta enim harum rerum aliquando vis est ad purgationem prohibendam: quanta turgentium humorum ad præcipiendū. Quodsi verò virtus valeat: viæ pateant: cruditas absit: nullaque inflammatio imum ventrem obsideat, turgentibus humoribus omninò satisfaciendum. Plus siquidem ex eorum purgatione utilitatis, quàm damni percipitur, licet crudi adhuc sint & inconcocti. Ad secundam *respondet Actuarius l.3. meth. med. c.8. Etsi, inquit, eadem materia in corpore turgeat: nihilominus non in omnibus idem est virium robur. Quare nec eodem modo tolerant purgantia: sed quidam facilè sustinent vacuationem: aliorum vires antè exoluuntur: neque confertam ferre vacuationem valent. Proinde illis semel aut bis exhibenda sunt medicamēta: hi paulatim vacuandi. In omnibus verò facilitatem in purgando antè expendere oportet: ne temerè ac inconsideratè jis, qui promptè purgantur, valida: jis verò, qui ægrè, debilia præbeamus. Illa enim jis, quibus fuerint exhibita, ὑπερκαθάρσεις minitantur. Hæc verò agitantia, ac commoventia tantùm humores, qui antea quiescebant, interdum ad partes principales transmittunt, deteriorumque affectionum ansam præbent.*

VII.

An præter humores turgentes etiam sint alij, qui ante concoctionem in principio statim ægritudinis expurgandi? *Discrepantes de hoc Zitemate authorum sententias legimus. Alii enim, qui in verba Hippocratis jurârunt, & τὸ ῥητὸν*

τὸν ſtricte ſervant, idq́ rigidè urgent, negantem tuentur: & in principiis omnem omninò crudorum humorum κάθαρσιν diſſuadent, niſi turgeant. Alij contrà etiam alios humores in principio ſtatim purgantibus educendos arbitrantur: planèq́ perſuaſum habent, etiam alios dari crudos humores, è quibus æquè grave periculum ægrotanti immineat, niſi inter initia ſtatim expurgētur, quàm ex turgentibus: ſeu ex quorum evacuatiooe plus commodi, quàm ex coctione expectata ſperari poſſit. Hos humores in 4 claſſes digerunt. Primæ ſunt humores abundantes, qui ad partes principes, aut ad eas, quæ principes facilè in conſenſum trahunt, vel iam ipſo ruunt actu: vel mox ruituri ſunt: quales ſeſe offerre ſolent in inflammationibus, magnis vulneribus, ulceribus, fracturis, luxationibus, acerbisq́ oculorum, aurium, dentium, capitis, articulorum, & nervorum doloribus. Secundæ humores maligni, venenati, ac peſtilentes. Tertiæ tenues quicunq́. Quartæ admodum copioſi: qui ſcil. adeò in quantitate peccant, ut metuendum, ne natura ſuccumbat, & ante juſtam integramq́ eorū coctionem deficiat. Hos enim, non expectata concoctione, in principio ſtatim purgantibus invadendos autumant, ut parte eorum detracta, quod reliquum eſt, natura leviùs ferre, faciliùsq́ vincere ae ſuperare valeat. Nos quid ſentiamus, paucis ediſſeremus. Hippocratis & Galeni doctrinam ſuſpicimus, veneramur, gratoq́ accipimus animo. Non tamen τῷ ῥητῷ illorum ita ſerviliter adſtricti ſumus, ut vel latum vnguem ab eo recedere ducamus piaculum. Potiorem rationem habemus τῆς διανοίας quàm τοῦ ῥητοῦ. Neq́ alienum ab eorum doctrina putamus, ſi ſtatuatur, etiam alios humores in principio ſtatim purgandos eſſe. Non enim alios excludit, qui turgentes vacuandos docet. Ratio eſt: quia contrarij non ſunt: ſed tantùm diverſi. Et fieri poteſt, ut idem periculum immineat ex aliorum humorum præſentia, ni tempeſtivè excernantur, quod ex turgētia humorum in acutis morbis imminere ſuprà diximus. Huc accedit, quòd licet doctrina hæc non

explicitè forsan κατὰ τὸ ῥητὸν *apud Hippocratem & Galenum reperiatur: habeatur tamen* secundum sensum : *& principijs atq; fundamentis ab ijs jactis facilè ex illorum monumentis elici possit Id quod* de humoribus primæ classis *probari facilè potest. Nam quando in inflammationibus, ulceribus, vulneribus, fracturis, & acutis doloribus vitiosi humores abundant, & vel ad partem laborantem jam fluunt: vel brevi affluxuri sunt, eos, si nihil prohibeat, in principio statim expurgandos Galenus censet. Patet hoc primùm ex lib. de cur. rat. per S. M. c. 8. ubi scribit, in ijs, quibus pars aliqua graviter icta est, aut utcunque aliter incipientē habet phlegmonem, eam si magnam fore suspicamus, curationem* ab inanitione auspicamur, *aut purgatorio pharmaco exhibito, aut sectâ venâ: prout nimirum alterum altero magis convenire judicamus. Deinde ex l. 13. meth. med. c. 6. ubi idem in inflammationibus fientibus, quæ adhuc sunt in generatione, monet. Tertiò ex l. 4. meth. med. c. 6. quo loco ex lib. Hipp. de ulceribus ostendit, quòd Hipp. in magnis capitis, thoracis, abdominis, & articulorum vulneribus: itemq; in ulceribus malignis, exedentibus, depascentibus, & quibus aut erysipelas, aut ossium corruptela, quam cariem vocant, est associata, tempestivè admodum pravorum humorum colluviem averterit, ipsamq; purgationem revulsionis ergò usurpârit. Quartò ex aphor. 31. sect. 6. ubi Hippocrates & Galenus* κάθαρσιν *in acerbis oculorum cruciatibus, qui à vitiosis orti humoribus, tàm* κενώσεως, *tàm* ἀντισπάσεως ἕνεκα *administrant. Quintò ex l. 6. meth. med. c. 5. ubi Galenus purgatione in fracturis revulsionis causâ utitur. Quod autem ijdem artis dictatores in principio statim hosce humores dictis in affectibus expurgent, id sequentibus, quæ ipsi tradiderunt, principiis atq; fundamentis planum fieri potest. I. quia universalia particularibus præmittenda: & quidem in initio curæ. II. quia causæ antecedentes, quæ proximas & continentes fovent, statim removendæ. III. quia revulsio mox in principio adhibenda. Fluentium enim humorum gratiâ instituitur:*

autho-

authore Galeno l. 5. meth. mad. c. 3. & l. 2. ad Glaucon. c. 2. At-qui in principio fluunt. Reliquo tempore quiescunt: quia afflictis partibus impacti. Sed purgatio, sive vacuationis, sive revulsionis causâ præscribatur, respectu topicorum præsidiorum, quæ inflãmationibus, vulneribus, ulceribus, doloribus, fracturis, & luxationibus applicantur, remedium est καθολικὸν. *Totius enim corporis curam gerit: quatenus illud ab impuritate humorũ liberat. Antecedentem causam, quæ continenti in inflammationibus, & doloribus fomitem subministrat: & ad fracturas, vulnera, atq; ulcera fluit, adeòq; mala auget, ipsamq; ferruminationem, & consolidationem impedit, tollit. Deniq; noxios humores, si qui in motu sũt, ab inflammatis, vulneratis, ulceratis, fractis, luxatis, dolentibusque particulis avertit: quemadmodum ex locis allegatis satis superq; constat: & id ipsum etiam disp. de Ven. sect. 14. ploblem. ult. pluribus ostensum.* Cæterùm humores secundæ classis *quod attinet, de iis jam disp. 3. problem. 2. mentem nostram declaravimus: docuimusq́, properandum quidem esse in peste, inspiratumq; venenum haud cunctanter expellẽdum: sed multis rationum momentis confecimus, catharticis pharmacis id minimè faciendum. Venena ore sumpta, & inscienter vel pota, vel manducata, citissimè, antequam penetrent in corpus, vomitu evocanda, appropriatisq; alexipharmacis & alexitheriis debellanda: quemadmodum in specie Dioscorides l. 6. à cap. 1. usq; ad 34. docet. Quæ verò à virulentis sunt injecta animalibus, itidem festinè tùm internis, tùm externis expellenda, extrahenda, demolienda: velut idem Dioscorides libro eodem, à cap. 34. usq; ad finem monstrat.* Humores classis tertiæ *quod spectat, dicimus, si vehemẽter urgeãt, & impetuosè moveantur, adeò ut timendum, ne ad partem aliquam principem ruant; aut aliud aliquod grave malum causentur: in principio statim, ante coctionem, expurgandos esse: idq; eò magis, quód propter tenuitatem & fluxibilitatem substantiæ ad motum faciles sint, proni, atq; propensi: eiusq; ratione nulla egere*

præparatione videantur. *Si verò quiescant, satius esse arbitramur, ut expectetur, donec à natura sint edomiti, mitiores facti, & ab utilibus humoribus separati : Tunc enim partibus, quas trãseunt, minus nocent : faciliùsq; educuntur : partim quia secreti: partim quia naturam in expurgando adminiculantem habemus.* Quartæ classis humores *etsi Fuchsius comm. aphor. 22. s. 1. & comm, aphor. 29. s. 2. nec non l. 2. paradox. c. 5. & quidam alij Fuchsium sequuti ante coctionem minimè attingendos putẽt: existimamus tamen, aliquam illorum partem etiam in principio, cùm adhuc crudi sunt, haud inutiliter purgantibus detrahi posse. Neq; arbitramur, hanc purgationem, quam Lud. Mercatus, aliiq; practici* minorativam *vocant, Galeno repugnare. Ipsus enim in comm. aphor. 29. sect. 2. scribit, cum coctiones in vigore maximè fiant, ut citiùs eveniaut, utile esse, vel venæ sectione, vel purgatione in principio vacuare, quò* minorem *jam* factam materiam *natura faciliùs concoquere possit. Nam levata, inquit idem l. 11. meth. med. cap. 15. exonerataq; eo, quo veluti sarcina premebatur, haud ægrè quod reliquum est vincet. Proprij siquidem muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui est habile: & excernet, quod excerni potest. Quod si tota materia, quam hîc copiosam admodum esse præsupponimus, naturæ relinqueretur, periculum sanè impenderet, ne succumbat, & ante coctionem deficiat. Quare licet cruda materia cum molestia & difficultate educatur: præstat tamen, aliquid molestiæ pati, quàm permittere, ut ea in corpore totaliter relicta, natura pessum eat.*

VIII.

Num æstivo tempore purgare liceat, & quidem ea illius parte, qua sidus caniculæ flagrat? *Negativa placet Hippocrati. Sic enim scribit aphor. 5. sect. 4. sub canicula, & ante caniculam difficiles sunt purgationes. Et in calce libelli de purg. medicament. ait, à canis ortu per dies 50. vitandum esse purgantium usum. Rationem Galenus in comm. aphor. citati adfert triplicem.*

plicem. I. *quia corpora nostra ab ambientis caliditate præter naturam calefacta sunt. Itaq; tutò caliditatem & acrimoniam purgantium haud ferunt. Multi enim, subdit idē, qui, sub cane fuerunt purgati, in febres inciderunt.* II. *quia natura ob æstum debilitata magis ex purgatione dissolvitur.* III. *quia purgatio benè succedere nequit. Nam purgantis & ambientis actiones inter se pugnant. Illud enim trahit ab externis ad interiora: hic verò ab internis ad exteriora. Eadem namque æstivi aëris ratio est, quæ balnearum calidarum. Quemadmodum enim istæ purgationibus obsistunt: sic etiam calor æstatis iisdem repugnare solet: tūc præcipuè, cum se ipso extiterit vehementior: id quod sub cane, & ante canem contingit.* Verum *distinguendum hîc est inter* προφυλάξιν & θεράπειαν *morborum. In illa tempus purgandi nobis conceditur liberum: adeò ut in potestate nostra situm sit, id tempus tribuere purgationi, quod ad eam aptum est atq; accommodatum. In hac non semper. Interdum enim ita urget affectus, ut sive aëris constitutio purgationi faveat, sive repugnet, purgare necesse habeamus. Itaq; in* προφυλάξει *declinandum æstivum tempus: & purgatio instituenda tempore commodiori: v. g. verno: uti Hippocrates aph. 47. sect. 6 monet. In* θεραπείᾳ *verò boni consulendum illud, in quod purgandi necessitas incidit. Si tamen in caniculares dies cadat, delectus purgantium instituendus, & vehementiora, quæ calidiora sicciorαq; sunt, propter causas ex Galeno recitatas, vitāda: contrà eligenda, quæ vel mitiora frigidioraq; sint ipsa: qualia disp. 3. problem: 3. fuêre proposita: vel refrigerantibus saltem humectantibusq; remediis v. g. decoctis, syrupis, aquis, stillatitiis, atque conseruis, castigata. Aër quoq; conclavis, quo in decumbit æger, arte, quantum licet, refrigerandus; v. g. aquâ gelidâ pavimento aspersâ: aut herbis, floribus, & germinibus refrigerantibus in terram projectis: gramine scil. foliis vitis viniferæ, quæ vocantur pampini, nymphæâ, rosis, violis, lactuca, portulaca, lenticula palustri, plantagine, polygono, psyllio, solano hortensi, endivia,*

sicho-

cichorio, ligustro, rubo, sempervivo &c. Item clausis undiq; fenestris: præsertim quà radij Solis ingrediuntur. Adhæc exclusâ hominum turbâ. Vel conclave prorsus mutandũ, & eligendum tale, quod ad Septentrionem spectet, aurisq; perfletur.

ΠΑΡΕΡΓΑ

I.

Recténe Hippocrates lib. de vict. acut. dicat, aquam biliosis naturis in acutis affectibus biliosam esse: cum tamen qualitatum ratione bili prorsus sit contraria?

II.

Cum secundum Galenum in orat. suas. ad artes c. ult. & l. ad Thrasyb. c. 15. & 16. tria sunt corporis bona, Sanitas, Pulchritudo, & Robur, quæritur, quodnam eorum sit nobilissimum, utilissimum, maximèque necessarium? Sanitas.

III.

An menstruus sanguis rectè ab Hippocrate, Aristotele, & Galeno materia lactis statuatur? A.

IV.

Vtrum omnia ὑπνωτικὰ, somnifera medicamenta, frigida? N.

V.

An omnia humida? A.

VI.

Num repercutientia in pleuritide locum habeant? N.

VII.

An in eadem purgantibus utendum? Validis nequaquam. Tuta sunt benigna & mitia: ut syr. viol. sol. syr. ros. sol. Syr. de agar. mel ros. sol. Cassia: Manna cum decocto pectorali, cordiali, aut decoct. flor. & fructuum.

VIII.

Uter dolor maior: colicus, an nephriticus? Colicus maior extẽsivè, quia plures partes infestat: nephriticus major intensivè, quia acutior.

FINIS.

DISPUTATIO

DE

PURGATIONE

OCTAVA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO

Juniore: Doctore & Professore Medico:

Respondente

JOHANNE STEINICHERO

Argentoratensi.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



VIRIS

AMPLISSIMIS,

PRUDENTIA, DOCTRINA, Authoritate, Genere, Virtute, variarumq; politicarum rerum usu & experientia præclarißimis Dominis,

DN. CHRISTOPHORO Städel: Reipub. Argentoratensium inclytæ Consuli dignissimo:

DN. JOHANNI WENCKERO: Reipub. Argentoratensium Senatus Assessori:

DN. MARTINO ANDREÆ König/Civi & Mercatori apud Argentorat. primario:

DN. JOHANNI FRANCISCO König/ Civi apud Argent. primario: literarum literatorumq; iucundissimo fautori suo, omni honoris officijq; genere prosequendo:

Dominis suis Fautoribus, & Promotoribus, in æternum colendis,

Hanc de Purgatione disputationem Octavam, in debitæ Observantiæ symbolum, & grati animi monumentum dedicat, offert

Johannes Steinicher, Respondens.



PROBLEMA I.

AN hyberno tempore licitum sit purgare? *Distinguendũ rursus inter* προφύλαξιν *&* θεράπειαν. Προφυλάξεως χάριν, *cùm corpus adhuc est in sanitatis latitudine constitutum, nullaq; necessitas purgandi magnoperè urget, hyeme purgandum minimè videtur. Est enim tum temporis corpus ob* ἀντιπερίστασιν *ambientis frigoris condensatum: meatus constipati: humores quasi concreti, & in altum detrusi: alvus quoq; utplurimùm siccata & indurata: ita ut purgationes sint difficiles & laboriosæ.* In casu *verò* necessitatis, *cùm affectui alicui magno, eiq; ex* κακοχυμίᾳ *nato medendum, urgentioris potior habetur ratio: & non tàm ad anni tempus, quàm ad indicantem, purgationemq; postulantem affectũ respicitur. Hinc Hippocrates vernum quidem tempus purgationi aßignat aphor. 47. s. 6. cùm procautionis causâ eam necessariam arbitratur. At æstatem & hyemem minimè excludit, quando ejusmodi affectus præsens est, qui purgatione opus habet. Sic enim ille aphor 4. sect. 4. æstate superiorem potiùs: hyeme inferiorem ventrem purgare convenit.* Obijcies, *etiam* προφυλάξεως ἕνεκα *hyeme purgandũ esse. Posse enim fieri, ut hyberno tempore talis in corpore nascatur affectio, quæ cum causa sua sit conjuncta: v. g. febris putrida. Causæ autem extirpationem Galeno* προφύλαξιν *esse. Cavere enim, ne morbus, qui jam incipit generari, ad complementum perducatur: comm. 2. aphor. 22. Respondemus,* προφύλαξιν *ratione corporum, circa quæ versatur, triplicem esse, authore Galeno in* μικροτέχνῃ *c. 99.* Prima *est hominum, qui integra sanitate fruũtur: pertinetq; ad artis partem* ὑγιεινὴν. Secunda *hominum non integrè valentium: & ad artis partem* προφυλακτικὴν *spectat.*

Tertia *hominum actu ægrotantium: estq́ θεραπευτικῆς Medicinæ partis propria.* *Ex quibus secunda purè atq́ sincerè* προφύλαξις *à Galeno l. 11. meth. med. c. 2. appellatur: quia, ut idem l. de constit. art. c. 19. docet, corpora quidem tractat sana: sed quæ sunt in morbos proclivia: velut l. 6. de tuend. san. c. 11. loquitur, quæ medium statum habent inter exactè sana & actu ægrotantia. Morbũ enim, inquit l. 4. meth. med. c. 3 qui nondum quidem urget; attamen imminet, prohibet, &, ne accidat, cavet. Ratio patet ex comm. 2. aphor. 22. quia causam illius, quæ quidem nondum actu causa est, neq́ morbum producit actu: sed nî dematur, productura, tollit. Tertia causã actu agentem, morbumq́ gignentem aufert: & secundum Galenum comm. 2. aphor. 22. merè* προφύλαξις *non est: sed actio quædam ex* προφυλάξει *&* θεραπείᾳ *mista: proprioq́ nomine caret. Nam circa eiusmodi corpus occupata est, cujus affectus cũ causa est conjunctus. Itaq́ subtractio causæ* προφύλαξις *appellatur: ablatio morbi geniti curatio.* *Ex* quibus quid ad objectionem respondendum *sit facilè apparet. Nam tertiæ* προφυλάξεως *gratiâ & hyeme, & quovis anni tempore purgare licet, si affectus purgationem requirat. At secundæ non item. In corporibus enim actu ægrotantibus necessitas purgandi urget, quæ legibus caret, & ad certa sese anni tempora astringi minimè patitur. In ijs verò, quæ adhuc in sanitatis spatio continentur, purgandi necessitas vehementer non premit. Ideòq́ purgandum quidem indicatur, ne causæ, quæ jam collectæ, erumpant in actum: sed eo tempore, quo tutiùs faciliùsq́ purgari potest.*

II.

Sitne tempus vernum ad purgationes omnium aptissimum? *Ita persuasum habent Hippocrates aphor. 47. sect. 6. & Galenus in commento. Causa est, quia temperatum. Quare actioni purgantium minimè repugnat, ut calor æstatis. Corpora quoque, non, ut ille, dissolvit atq́ debilitat. Adhæc sua tepiditate corpora laxat, & humores quasi fundit, fluxilioresq́ reddit: secus*

cus atq; hyems, quam ob frigus ambientis corpora densare, meatus constipare, humores cogere, & in profundum pellere, alvum denique siccare & indurare praecedenti problemate diximus. Vnde Galenus tùm venæ sectiones, tùm purgationes præcautionis gratiâ ineunte vere instituit: plurimosq; à gravissimis affectibus, in quos erant proni, præservavit. Et phlebotomiam quidem adhibuit, si plenitudinis passionibus subjicerentur: purgationem verò, si cacochymiæ: quemadmodum ipsemet testatur comm. 6. aphor. 47. hujusq; rei quatuor exempla recenset notatu dignissima. Primum est cujusdam viri: qui nisi purgaretur vere & autumno, quotannis in melancholiam cadebat. Humoribus verò melancholicis tẽpestivè evacuatis: & educto per venas hæmorrhoidales melancholico sanguine, à melancholia præservabatur. Refert enim Galenus, ex purgatione duo homini contigisse commoda: nimirum expulsionem superfluitatum, & apertionem venarum hæmorrhoidalium: eamq; ob acrimoniam eorum, quæ expurgabantur. Quibus apertis, pars aliqua sanguinis vitiosi, qui evacuari antea naturaliter consueverat, excernebatur: eoq; retento, melancholia superveniebat. Secundum mulieris, quæ aliquando tumorem cancrosum im mammilla patiebatur. Eam enim singulis annis incipiente vere forti frequentiq; μελαναγωγῷ pharmaco purgando Galenus ad sanitatem perduxit. Quod si quandoq; purgatio negligeretur, dolorem sentiebat profundum, accersitoq; Galeno statim purgari volebat. Tertium rursus viri, qui initium habebat elephantiaseως. Eum Galenus primùm per venæ sectionem & purgationem pristinæ sanitati restituit. Postea quotannis unica facta purgationẽ præservavit. Purgatione verò omissa, malum recrudescebat. Quartum iterum viri, qui æstivo tempore semper tertianis corripiebatur febribus. Sed circa finem veris expurgata bile flava febris emanebat. Præter hæc exempla Galenus etiam quædam alia tùm loco citato: tùm l. de cur. rat. per S. M. c. 7. recenset, testaturq; multos sese præservâsse partim venæ sectione, partim purgatio-

æ inchoante vere administrata, qui vel in vere ipso, vel in æstate vitiis ex sanguine, aut κακοχυμίᾳ *erant obnoxii: v.g. hæmoptysi, peripneumoniæ, pleuritidi, anginæ, asthmati, epilepsiæ, apoplexiæ, arthritidi, podagræ, vertigini, doloribus oculorum &c.*

III.

Quodnam tempus anni post ver ad purgationem convenientissimũ? *Sermo nobis rursus est* de purgatione libera, *quæ nullius præsentis morbi necessitate* ad præcautionem solã *suscipitur: non* de coacta, *quam præsens affectus pro sui demolitione efflagitat. Pro illa ergò post ver aptissimum pronunciamus autumnum. I. quia vires corporis in eo validiores sunt, quàm tempore æstivo: idq; ob deferuescentem aëris calorem, quo calor corporis minus exhalat, minusq; dissipantur spiritus II. quia humores corpori non adeò tenaciter & altè inhærent, sicut in hyeme. III. quia meatus liberiores sunt, humoresq; fluxiliores, quam tempore brumæ. Vnde legimus Galenum etiam ad liberã & prophylacticam purgationem ver & autumnum elegisse. Exẽplum habuimus problemate antegresso ex comm. 6. aphor. 47: Galenus enim expurgato humore melancholico bis in anno, vere scil. & autumno, virum quendam à melancholia, in quam erat proclivis, præcavebat.*

IV.

Vtra constitutio ad purgationem aptior, austrina, an aquilonia? *Austrina, quæ juxta Galenum comm.* 3. *aphor.* 5. *calida & humida. Corpora enim laxat, & humores liquefacit. Quam ob causam Hippocrates aphor* 5. *sect.* 3. *eam corpora dissolvere, humectare, & alvum movere scribit. Aquilonia verò, quæ Galeno comm* 3. *aph.* 17 *frigida & sicca, alvum indurat, teste Hippocrate aphor.* 5. *&* 17 *sect.* 3. *Causa videtur duplex: quæ partim ex aphor* 5. *partim ex aphor.* 17. *sect.* 3. *depromitur. I. quia corpus & alvi excrementa siccat. Ex quo duriora, pigrioraq; fiunt ad exitum. II. quia retentricem firmat. Stringit enim organa,*

& in-

& in unum quasi cogit. Quare cum austrina constitutio purgationem juvet: eam verò aquilonia quadantenus impediat, sequitur, illam hac ad purgationem corporis esse magis idoneam.

V.

Num in febrium paroxysmis purgare sit integrum? *Affirmtiva speciem veri præ se ferre videtur: idq; propterea, quia rationibus & authoritate magnorum virorum stabilita.* Ratio *I. est: quia peccans materia paroxysmi die est in motu, attenuataque, quoniam calefacta. Ideòq; tunc faciliùs expurgatur. II. quia natura, quam imitari Medicus debet, in paroxysmis ut plurimùm vacuationes molitur. III. quia si in die accessionis purgare non liceret, sanè in majori febris parte purgare fas non esset. Ratio est: quoniam præter intermittentes simplices, quæ suas habent* ἀπυρεξίας, *etiam sunt continuæ: eæq; duplicis generis: aliæ conclusæ, sive continentes, quæ à continuò fervore* σύνοχοι *dicũtur: aliæ, ut loquuntur recentiores, continuæ proportionales. Ex priorum albo est* σύνοχος *putrida: quæ neq; infebricitationem, neq; remißionem habet: sed universum illius tempus una est accesßio, quemadmodum Galenus l. 2. de diff. febr. c. ult. loquitur: vel, ut ibid. c. 2. ait, in una consumitur accesßione. A principio namq;, inquit idem ibid. c. ult. usq; ad finem nullam intermisßionem habet: ac tamdiu durat, donec humores in vena cava putrefacti, aut absumantur ex toto: aut concoquantur: aut patiantur utrũque: persistitq; febris vel in eodem sẽper vigore, à principio nimirũ usq; ad finem sibi similis: unde vocatur* ὁμότονος: *vel paulatim augetur, ex qua* ἀναβατικὴ, καὶ ἐπακμαστικὴ, *assurgens & invalescẽs dicitur: vel minuitur, donec penitùs judicetur: quo nomine* παρακμαστικὴ, *decrescens appellatur. Ex posteriorum numero sunt continua quotidiana, continua tertiana, continua quartana, &* καῦσος, *febris ardens: quæ licet remisßiones habeant: infebricitationibus tamen carent: teste Galeno l. 2. de diff. febr. c. 2.* Præter *hasce febres etiam intermittentes compositæ se offerunt, quas clarissi-*

rissimus Fernelius l.4. pathol. c.15. implicitas nominat: ut sunt v. g. quotidiana duplex, tertiana duplex, & quartana triplex: quæ redeunt quotidié: quarundam etiam accessiones mutuò se excipiunt: ita ut priori nondum finita veniat nova. Itaq; si in die accessionis purgantibus uti integrum non est, in hisce mehercule febribus, quia ἀπυρεξίας destituuntur, purgare minimè licebit: quod tamen falsum esse inde perspicitur, quoniam ex κακοχυμίᾳ natæ: cujus medelam κάθαρσιν esse sæpius jam dictum fuit. Hanc sententiam etiam authoritas artis procerum confirmat. Nam Galenus lib. quos &c. purgare oportet scribit, in accessionibus purgandum esse per superiora: in intermissionibus per inferiora. Hippocrates l. περὶ παθῶν vomitorium exhibet ἐν αὐτῇ τῇ λήψει, in ipsa apprehensione febris quartanæ. Et aliquot diebus interpositis rursum in eadem deiectorium offert. Avicenna l.4. Canon fen. 1. tract.2. c.64. in quavis quartana: potissimùm verò in phlegmatica, (ex omnibus enim humoribus adustis quartanam fieri arbitratur) vomitiones ante accessiones commendat: dummodò æger ad vomendum sit facilis. Ait enim, noxiam materiam aut extirpari: aut ægrum saltem alleviari. Trallianus l.12. c.8 vomitũ incipientibus accessionibus in ijs maximè laudat, quibus orificiũ ventriculi crassis lentisq; humoribus scatet. Persuasum namq; habet, cum materiæ in paroxysmis moventur, etiam humores ad vẽtriculum confluere, ejusq; orificium rodere, & nauseam parere. Itaq; lentis humoribus vomitu rejectis, paroxysmos minui putat: testaturq;, se hac ratione tantum effecisse, ut nonnullæ quartanæ dempta parte materiei deteriore, conquieverint. Cujus sententiæ subscribit Aëtius tetr.2. serm.1. c.84. Asserit enim, plerosq;, qui crebris usi sunt vomitionibus, partim perfectè à quartana fuisse liberatos: partim facilè eam pertulisse. Verum pro negativa sequẽtes rationes militant. I. quia natura vim materiei febrificæ, quæ in paroxysmis movetur, naturamq; aggreditur, & purgationem

tutò

tutò ferre non potest. Ab utraq; enim fatigatur. III. quia Galenus tùm alibi, tùm comm. 1. aphor. 7. & 8. monet, naturam ab officio suo avocandam non esse: non solùm cùm morbificam materiam concoquit: sed etiam cùm eidem pugna est atq; certamen cum morbo: quale esse in paroxysmis solet. III. quia secundum Galenum comm. 3. in l. 1. epidem. t. 13. crises in paroxysmis fieri consueverunt. Hæ ergò vacuationibus arte institutis impediendæ non sunt: juxta aphor. 20. sect. 1. quo præcipitur: cùm natura judicat, nihil movendum esse: sed quiescendum, soliq; naturæ totum negotium committendum. IV. quia Hippocrates ne cibum quidem in paroxysmis aphor. 11. & 19. sect. 1. nec non lib. de vict. acut. permittit. Cui Galenus tùm in comm. allegator. aphor. tùm comm. 4. in l. de vict. acut. t. 39. adstipulatur. Quapropter multò minus purgare licet. Ratio consequentiæ est: quoniam ægri cibationem ferunt leviùs, quàm vacuationem. Illâ siquidem reficiuntur: hac verò debilitantur. V. quia in principio paroxysmi adhuc ignoratur, per quamnam viam natura materiam motam sit extrusura. Quare si purgatio adhiberetur, fieri posset, ut motus institueretur naturæ planè contrarius. Atqui naturæ inclinatio, siquidem idonea sit, semper sequenda: uti aphor. 21. sect. 1. docetur. Has ob causas Avicenna *&* Oribasius *in accessionibus à purgātibus pharmacis dehortantur. Quorum sententiæ* nos quoque subscribimus, *& in intermissionibus febrium purgandum censemus. Tùm quippe febres minus fatigant, viresq; meliùs constāt: ac proinde cathartici medicaminis impetum faciliùs tolerare possunt.* Ad primam *verò* objectionem *respondemus, materiam quidem in paroxysmo moveri, calefieri, attenuari: non tamen sequi, dejectorio pharmaco educendam esse. I. quia adhuc motus & inclinatio naturæ ignoratur. II. quia natura motam materiam utplurimùm vacuat vel per vomitum, vel per spiracula: cuj cutis contrarius motus minimè moliendus. III. quia non tātùm ad motā materiam: sed etiam ad virtutem respiciendum:*

diligenterq́ perpendendum, quo tempore omnium facilimè purgationem ferre queat. IV. quia intempestivâ alvi dejectione natura ab officio suo in paroxysmo neutiquam distrahenda. Ad secũdam. *Natura vel movet sufficienter: vel movere incipit: vacuationem autem perficere nequit. In priori casu nihil agendũ Medico, juxta aphor. 20. sect. 1. In posteriori verò quod deest arte supplendum. Sed quonam remedio? Dejectorióne? Minimè gentium. Iam enim dictum, naturam in paroxysmis utplurimùm vacuare per vomitum, & sudores. At quæ educere oportet, inquit venerandus senex aphor. 21. sect. 1. quò maximè vergere videbuntur, ducito. Ergò dato vomitorio naturæ conatus juvari poterit.* Ad tertiam. *Distinguendum inter purgationis tempus liberum atq́ coactum. Illud in nostra situm est potestate. Hoc nequaquam. Liberum datur in febribus intermittentibus simplicibus: estq́ dies intermissionis. In cæteris non item. In his ergò posthabendus paroxysmus, & urgenti necessitati serviendum; hac tamen cum conditione, ut in continuis proportionalibus purgetur in remissione. Nam licet* ἀπυρεξίας *non habeant: habent tamen* ἀνέσεις, *remissiones. In implicitis eligatur tempus tranquillius: & tùm purgetur, cùm prioris febris accessio mitescit atq́ declinat. In Synochis, quæ neq́* ἀπυρεξίας, *ut intermittentes simplices: neq́* ἀνέσεις, *ut continuæ aliæ habent, ad urgentem necessitatem respiciatur: & tùm purgatio decernatur, cùm usus eam postulare videbitur. Necessaria enim & coacta purgatio certó & determinato tempore caret. Et in re ancipiti, inquit Galenus l. 11. meth. med. c. 21. sæpè eligendum id, quod minus est noxium: ut vitetur, quod noxam introducere majorem valet.* Authoritatem *Galeni quod attinet, dicimus, illum in paroxysmis admittere vomitũ: quod ipsi quoq́ largimur, si natura sufficiens esse nequeat: non autem purgationem per inferiora. Hanc enim, ut idem lib. quos &c. purgare oportet, explicat, intermißionis die instituit.* Avicenna, Trallianus, &

Aëtius

Aëtius *nobis non adversantur, quando ante accessiones, aut incipientibus quartanæ accessionibus vomitum provocant. Concedimus enim, si sursum vergat materia, vomitorijs naturæ conatum juvandum promovendumque esse.* Hippocratem *quod spectat, respondemus, in quartana casum esse extraordinarium, irregularem, & necessitatis: ex quo inferre non liceat, etiam in aliarũ intermittentium febrium paroxysmis per inferna purgãdum esse. In quartana siquidem aliquando necessitas postulat, ut purgetur in paroxysmo. Causa est, quia materia illius melancholica est: crassa scil. fæculenta, non multùm calida: ac propterea ad expurgationem tarda atque difficilis. In accessione verò movetur, attenuatur, incalescit: & idcirco ad evacuationem promptior est atque obsequentior.* In *aliis autem febribus intermittentibus talis purgandi necessitas minimè urget.* Ideóque *purgatio rectiùs die intermissionis celebratur: & quidem propter causas suprà in medium adductas.*

VI.

An matutinum tempus ad corporis purgationem aptissimum sit? *Maximè: modò in nostra situm sit potestate, purgando corpori horam deligere. Rationes sunt sequentes. I. quia matutinis horis natura est alacrior: viresque firmiores. Instauratis enim per prægressum somnum spiritibus refocillatæ. II. quia ventriculi concoctio est peracta, nihilque in eo ciborum continetur. Vndè minimè metuendum, ne vel vis assumpti pharmaci à cibo obruatur: aut saltem frangatur obtundaturque: vel cibus corrumpatur, aut semicoctus in venas præcipitetur. III. quia sic quoque prisca Medicorum schola docuit. Nam Paulus l.7. c. 6. purgãs pharmacũ stomacho jejuno vult exhiberi. Quod ipsum quoque Avicenna innuere videtur l. 1. fen. 4. doctr. 5. c. 5. In usu enim purgantium vacuum ventriculum requirit. At vacuus esse so-*

let manè: quia cibus vesperi ingestus jam concoctus est, inq; corpus distributus.

VII.

Utrum strictè semper matutinum tempus in purgatione servandum? *Distinctè nobis respondendum videtur. Nam purgamus vel* præservationis *ergò sanos: vel* curationis *gratiâ ægros. In purgatione prophylactica rectè eligitur tempus matutinum: idq; ob causas præcedenti problemate expositas. In curativa verò eligi semper nequit. Nam affectus, cuius causâ purgãdum, vel febris est: vel alia morbi species. Febris rursus aut intermittens: aut continua. In intermittente simplici* ἀπυρεξίας *tempore purgatur: ut antè probatum. In composita, quæ implicita, purgatur, cùm accessio mitescit, atq; declinat. In continua purgatur, quando adest remissio. In aliis affectionum generibus v. g. ictero, hydrope, melancholia, dysenteria, cancro &c. rursus matutinum tempus purgationi tribuitur. Nihil enim est, quod suadeat tempus aliud: sed id liberum nobis relinquitur: adeò ut in potestate nostra sit positum, eam eligere diei partem, quæ ad purgandum corpus est opportunissima.*

VIII.

Sintné catapotia, seu, ut usitatiori utamur vocabulo, pilulæ, quæ caput purgare debent, post cœnam degluticdæ? *Frequens admodum apud recentiores quosdam practicos capitalium pilularum à cœna usus esse solet: conanturq; placitũ suum tùm authoritate, tùm rationibus defendere.* Authoritatem *primum* Iani Damasceni. *Medici inter Arabes eximij, adferũt. Sic enim aphorismo 30. scribit: medicamenta quædam à cœna sub somnum exhibentur: puta, quæ è capite & remotioribus membris debent attrahere, & ubi vehementer morbus invaluerit, maximèq; in principibus particulis extiterit. Et clariùs adhuc rem*

expo-

exponit aphorismo 77. inquiens, cùm quis vult caput purgare, aut cerebrum, aut instrumenta sensuum, catapotiis id maiusculis, atq; à cœna faciendum est. Deinde Galeni, *qui l. 14. meth. med. c.8. sexagenario cuidam, qui tumefactam linguam habebat, catapotia, ex aloë, scammonea, & calocynthide composita vesperi exhibuit. Tertiò* Pauli, *qui l.1.c. 43. post cœnam terebintinam, aloën, rheum &c. offert.* Ratio *verò* prima *est: quia pilulæ à cœna sumptæ miscentur cum cibo: cumq; homines tùm cubitum se conferre soleant, fieri ajunt, ut facultas pilularum unà cum vaporibus cibi sursum ad caput feratur: eamq; ob causam noxios ex capite humores deorsum in ventriculum trahat.* Secunda: *quia alterantia quoq; medicamina, tùm siccantia & roborantia caput: tùm defluxiones inhibentia: tùm somnum conciliantia eandem ob causam peractâ cœna usurpantur. Nimirum ut vires illorum cum cibo misceantur, & cum exhalationibus ejus vehantur ad caput.* Tertia: *quia capto cibo, corporeq; ad somnum composito, pilulæ diutiùs morantur in ventriculo, & proin validiùs à capite trahunt.* Quarta: *quia delicatæ naturæ, quibus ventriculus est infirmior, eiusq; orificium sensus exquisitioris: quæ item à catharticis abhorrent, eaq;, jejunæ si fuerint, promptè excutiunt per vomitum: adhæc, quæ inediam tamdiu ferre nequeunt, donec purgatio sit completa: imò non rarò rosiones & morsus ventriculi tùm ab ipsis pharmacis, tùm ab attractis humoribus sentiunt, ut metuendum, ne in leipothymiam, aut convulsiones incidant, tutiùs jucundiùsq; purgantur, si à cœna, stomacho nonnihil cibis refocillato, cephalicas pilulas usurpent.* Verũ *hanc exhibendarum pilularum capitalium rationem Leonhartus Fuchsius partim in Instit. l.2. sect.5. c.18. partim verò l. 3. de compos. med. c. 9. prorsus damnat: suæq; sententiæ subscriptorem habet Fallopium l. de simpl. purg. med. c.24. Vult autem hasce pilulas non secus atq; alia cathartica pharmaca, matutino tempore, cùm ventriculus est jejunus, devorandas esse. Et pro suæ sententiæ*

tuitione rationibus atq; authoritate nititur. Authoritate *quidem Pauli: qui l. 7. c. 4. ita scriptum reliquit: qui aloën vesperi propinant, noxam inferunt. Alimentum enim corrumpit.* Rationibus *verò sequentibus. I. quia natura post cœnam circa cibi concoctionem occupata est: & propterea non ita benè actionẽ pharmaci juvare potest. Necesse igitur est, ut pharmacum naturæ auxilio destitutum minus vacuet. II. quia purgans concoctionem impedit, turbat, sumptumq; cibum corrumpit. III. quia si aloë, quæ tamen ex toto corpore trahere nequit, & grata est vẽtriculo, à cibo ingesta, cibum labefactat: multò sanè magis id facient pilulæ capitales, cochiæ scil. aureæ, sine quibus, Arabicæ &c. quæ valida purgantia, & ventriculo inimica, nimirum scammoneam, colocynthida, turbith &c. recipiunt. Hisce rationibus Fallopius etiam hanc addit: quia catharticum à cœna devoratum cum cibo miscetur. Aut igitur cibum superat: aut ab eo superatur. Si superat, cibum corrumpit, ejusq; corrupti partem aliquã in genus deducit venosum, non sine incommodo corporis purgati. Sin superetur, in pravum succum mutatur: à quo rursus detrimẽtum in corpus redundat.* Nos quid sentiamus *dicemus liberè, salvo semper rectiùs sentientium judicio. Monemus autem, quæstionem non de quibuslibet esse purgantibus, sed tantùm de ijs, quæ purgant validiùs, quæq; caput, partem admodum distantem, à superfluitatibus vindicare queunt. Hoc præmonito, profitemur, capitales pilulas rectiùs matutino tempore, vacuo existente stomacho, quàm eodem cibis refecto post cœnam deglutiri. Argumenta, quæ nos movent, non tantùm sunt* ἄτεχνα, *& aliunde assumpta; petita scil. ex testimoniorum loco; quia veteres Medicinæ principes sic docuerunt: sed etiam* ἔντεχνα, *atque insita. I. est: quia nulla dari diversitatis ratio potest, cur solæ capitales pilulæ vesperi ante, vel post cœnam sumi debeant: reliqua verò omnia cathartica, sive solida sint, sive liquida, etiam caput ipsum purgantia, horis matutinis, ventriculo cibis vacuo. Nam rationes, quæ suprà fuerũt*

proposi-

propositæ, stramineæ sunt, & in fumū facilè abeunt, ut infrà patebit. Itaq; cum de similibus simile fieri debeat judicium, sequitur, si cathartica alia, etiam capitis causâ instituta, matutinis horis capienda, pilulas quoq; cephalicas ijsdem capi debere. II. quia pilulæ post cœnam à cubitum ituris deglutitæ nocturnam interturbant quietem. Vi siquidem illarum medicatrice in actum deducta, homines ad sellam surgere cogunt. Plures enim horæ inter cœnam & auroram intercedunt, quibus utplurimùm operari solent. Verum nocturna requie interruptâ, & corpore purgato, fit, ut patientes die sequenti admodum debiles sese sentiant. Licet autem quod noctu neglexerūt, interdiu compensari possint: in confesso tamen est, multò placidiorem suavioremq; somnum obrepere noctu, quam interdiu: idq; ob noctis tranquillitatem, frigiditatem, & tenebricositatem: & quia homines nocturno, non diurno tempore dormire consueverunt. III. quia actio purgantium medicaminum juxta Hipp. aphor. 14. & 15. sect. 4. quiete quodammodo coërcetur: motu verò juvatur, ac promovetur. IV. quia idem Hippocrates aphorismo 14. s. 4. hellebori exemplo ostendit, sūptâ catharticâ medicinâ corpus movendum potiùs esse, quàm somno tradēdū, aut quieti. Motione enim turbari corpora vel navigationē indicare scribit. V. quia matutino tempore multò felicior multòque copiosior expectari potest vacuatio, quàm nocturno. Noctu enim vis cathartici propter cibū, somnū, & quietē frangitur atq; hebetatur. Natura etiam propter vigiliam & laborem diurnam fatigata est: ita ut somno refocillari cupiens, ad expulsionem vitiosorum humorum pigrior sit atque ignavior. Interdiu verò alacrior est, & ad superfluitates expurgandas prompta atq; parata: quia nocturnâ quiete refecta. Catharticum quoq; sui juris est, cibi præsentiâ minimè obtusum. Inambulare etiam licet: ita ut motus beneficio humores agitentur, fundantur, alliciantur, ex-

pultrix:

pultrix, quæ per somnum feriatur, suscitetur, & purgantis medicamenti actio promoveatur. Superest ut ad argumenta neotericorum respõdeamus. *Authoritatem Damasceni relinquimus in medio. Sequatur illum, qui velit. Nobis enim author ille nihil præiudicat: cum contrariũ sentiant authores Damasceno celebriores, magisq́ authentici.* Ad Galeni *locum respondet Fuchsius in Institutionibus. Eius ergò cantilenam non repetimus.* Paulum *quod attinet, dicimus, illius authoritatẽ neotericorum sententiæ minimè patrocinari. Non enim l.1.c.43. de pilulis cephalicis in specie: neq́ in genere de medicamentis solutivis; sed duntaxat de ἐκκοπρωτικοῖς verba facit, quæ humectando, lubricando, emolliendo, detergendo, moderatè stimulando, fæces educunt. Terebintinæ quippe, ovorum sorbilium, betæ, malvæ, iusculi cochlearum, mercurialis in aqua cum sale decoctæ, seri lactis cum sale, aut melle misti, iuris galli decrepiti &c. meminit. Imò expressè ibidem fatetur, qui vehementiore ad subducendam alvum medicamento opus habent, veris tempore* manè *drachm. 1. Epithymi ex oxymelite bibere debere.* Obiicies, *Aloen tamen à cœnâ Paulum offerre. Respondemus, sic quidem esse: sed aloen non nisi magnitudine trium cicerum: vel, ut l.7.c.4. monet, trium oboloru h. e. sesqui scrupuli pondere. Hac siquidem dosi fæces solùm extrudit: & vẽtriculum interim confortat: cibum verò neutiquam corrumpit. Vacuat autem iustè, si justa in quãtitate, v.g. ad drachm. 1. ex hydromelite sumatur: ut idem seipsum loc. alleg. interpretatur. Sed iusta in quantitate & aloên, & alia fortiora pharmaca* manè *ante cibum præscribit.*

Ad primam rationem *rursus Fuchsius in Instit. respondet. Actum ergò agere non libet.* Ad secundam. *Quod ὑπνωτικὰ noctu dentur, causa est, quia propter tranquillitatem noctis meliùs operantur. Quod eodem tempore catarrhos sistentia præbeantur, ratio est, quoniam defluxiones noctu frequentiores vehementioresque esse solent. Nil tamen obstat, quo minus etiam aliis diei partibus exhibeantur. Roborantia & siccantia caput non à cœna solùm, sed etiam manè & vesperi ante cœnam offeruntur. Cur autem nocturno quoque tempore pilulæ capitales usurpari debeant, nullam solidam prægnantemque rationem videmus.* Ad tertiam. *Esto. Morentur sanè pilulæ à cœna in ventriculo diutiùs. Dicimus tamen, manè sumptas tanto temporis spatio inibi manere, quanto ad perficiendam purgationẽ opus. Interim multas præ iis, quæ à cœna devorantur, prærogativas habent: ut ex suprà dictis liquet.* Ad quartam. *Incommodis in delicatis naturis occurri potest, etiamsi pilulæ post cœnam non porrigantur. Si enim à pharmacis abhorrẽt, dentur pilulæ pauciores, & quidem cum rebus palato gratis: v. g. pulpâ prunorũ, passularum, pomorum assorum, cerasis conditis, iulepo ros. aut viol. vino, lacte &c. Si impetum earum ferre nequeunt, eligantur leviores. Si facilè vomunt, sorbeatur parum liquoris adstringentis: e. c. succi cydonior. succ. rib. succ. granator. syr berber. aceti ros. &c. Si inediã diu tolerare non possunt, morsusque ventris sentiunt, abstergens sumatur sorbitio: nempe decoct. cicerum: decoct. hordei: brodium saccharatum, &c. aut temporiùs æger cibetur. Temporiùs autem cibari potest, quia delicatæ naturæ citiùs faciliùsque purgari solent.*

F I N I S

20

DISPUTATIO

DE

PURGATIONE

NONA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore
Medico:

Respondente

DANIELE WIDHOLZIO
Augustano.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



NOBILITATE GENERIS, AMPLITUDINE, DOCTRINA MULTAQUE RERUM experientiâ præstantissimis VIRIS

DN. JOHANNI BAPTISTÆ HAINZELIO, Præfecto Ecclesiæ apud Augustanos Orthodoxæ & Collegij Evangelici supremo:

DN. JEREMIÆ ERHARDTO, Medicinæ Doctori Excellentissimo, Practico ibidem felicissimo,

Dnn. Cognatis atq; Patronis sanctè venerandis & colendis;


ET

DN. M. ELIÆ EHINGERO Gymnasij Annæi Rectori & Bibliothecario dignissimo, Præceptori & Fautori suo æternùm observando:

Specimen hoc Medicum observantiæ & amoris ergò

dicat & offert

Daniel Widholzius, Respondens.



PROBLEMA I.



Itne illorum Medicorum probandum institutum, qui purgantium sacculorum, sive nodulorum usum in principio prandij laborantibus suadent? *Sacculi, sive noduli cathartici in vino infusi, præstantissima sunt, multis in affectibus remedia. Vinum enim propter tenuitatem suam in omnes infusorum simplicium partes sese insinuat, eorumq; vires optimè elicit: elicitasq; in abditas corporis partes diffundit. Et quia vinum naturæ gratum est atq; amicum, fit, ut sacculorum medicatorum infusa minori cum molestia assumantur, faciliùsq; retineantur. Hoc quoq; laudis habent, quòd lentè, & citra virium jacturam purgent: naturam minimè debilitent: potenter penetrent: insigniter aperiant: instarq; longorum & magistralium tùm syruporum, tùm apozematum à veteribus usurpari solitorum sese habeant: & felici cum successu in ictero, hydrope, cachexia, melancholia hypochondriaca, febribus intermittentibus, obstructionibus mesenterij, hepatis, lienis, renum, & ureterum, dysenteria, ægritudinibus aliis operentur. Verum hæc quidem præstant, si* opportunè *usurpentur. Lædunt autem, si propinentur* intempestivè: *in principio scilicet pastus. Quam ob causam eorum Medicorum improbandum videtur institutum, qui patientibus præcipiunt, ut loco primi in prandio haustus infuso sacculorum utantur. Repugnant enim authoritati procerum artis: & rationi maximè adversantur.* Authoritati *quidem* Pauli Æginetæ, *qui l.7.c.6. in genere monet, purgantia pharmaca homini jejuno danda esse: & ab omni cibo ac potu abstinendum, usq; ad perfectam purgationem. Deinde*

Avicennæ, *qui l.1.can.fen.4. doctr.5.c.5. consulit, ut qui catharticum sumsit, non comedat, neq; bibat, donec medicina suam perfecerit operationem. Tertiò* Aëtij, *qui quæ Paulus & Avicenna dixerunt in genere de omnibus solutivis pharmacis, in specie ad vina cathartica accommodat: eaq; tetrab.1.serm.3.c.58. & 62. ante cibum: & cap.69. ante prandium exhibere jubet.* Contra rationem *verò faciunt: I. quia vis cathartica sacculorum in vino infusorum à cibo obtunditur, si in pastus principio usurpentur. II. quia cibi coctio impeditur: nondumq; coctus expellitur. Infusa namq; purgantia vim stimulandi, & expellendi habent. III. quia metus est, ne cibus nondum satis coctus, aut etiam corruptus, unà cum hausto cathartico ad hepar & venas perducatur: ac in iis vel obstructiones, vel aliud aliquod incommodum pariat. IV. quia cibus ingestus tùm à potu infuso, tùm ab attractis humoribus vitiosis inquinatur. V. quia fieri potest, ut pars corruptorum humorum, quæ jam ad ventriculum, aut intestina, trahente pharmaco, & expellente natura, est ablegata, contra naturæ & pharmaci institutum unà cum cibo ad hepar & venas remittatur. VI. quia cibi & cathartica pharmaca contrariæ prorsus sunt naturæ: contrariosq; effectus habent: & ad contraria loca tendunt. Itaq; uno eodemq; tempore commodè offerri nequeunt.* Verum contra negativam *affirmativæ defensores similiter & authoritates, & rationes in medium adferunt.* Authoritatem *primùm* Hippocratis, *qui lib. de vict. acut. cathartica modò cum sorbitionibus offert: modò ijs epotis, ptisanam protinùs sorbendam exhibet. Deinde* Galeni, *qui lib.5. de tuend. san. cap.9. senibus ad ciendam alvum mercurialem herbam, &* θαλασσοκράμβην, *h. e. brassicam marinam, soldanellam in officinis appellatam, & cnicum, sive semina carthami in ptisana porrigit. Et lib.13. meth. med. c.15. hepatis cavo phlegmone obsesso cnico cibis admisto, & urtica, & mercuriali, & epithymo, & alijs etiam valentioribus, partim in ptisana coctis, partim tusis, & cum ptisana* propi-

propinatis utitur. Tertiò Aëtii, *qui tetrab.1.serm.3.c.57.scribit, pharmaca alvum subducentia in cibo sumi. In cibo enim medicamentum juxta Hippocratem l.* περὶ τροφῆς *alimentum esse optimũ. Hæcq;* ὑπακλικὰ *pharmaca etiam sanis naturaliter adstrictam alvum habentibus utilia esse. Fortaßis autem, subdit idem Aëtius, & ijs, qui se ex morbo recolligunt; insuperq́; ijs, qui ex diuturno morbo ægrotant, ea fieri auxiliaria, si unum, aut alterum simplex pharmacum jucundis fuerit admistum edulijs, aut ad ventrem emolliendum: aut si etiam redundantem humorem paulatim & latenter evacuare volumus. Quæ authoritates etsi ad probandum sacculorum purgantium usum in prandij principio nil facere videantur: in genere tamen hoc probant, quod cathartica pharmaca rectè cum cibo sumantur. Quinimò* Aëtius *tetr.1.serm.3. cap.61. vinum purgans in specie, polypodites nũcupatum, in prandio, medios inter cibos, præbet.* Rationes verò sectæ hujus sunt sequentes. *I. quia multi vinum jejuno stomacho ferre nequeunt: sed eò manè hausto, de turbatione & repletione capitis conqueruntur. Necessum igitur, ut vina purgantia differantur in tempus prandij. II. quia eo tempore & minori cum nauseâ bibuntur: & bibita faciliùs retinentur. III. quia leniter vacuant. Vis namq; & impetus catharticorum infusorum, quem naturæ delicatiores infirmioresq; non ferunt, alimentis admistis aliquo modo hebetatur.* Sed ad horum & similium argumentorum solutionem *Oedipo non est opus conjectore. Nam Hippocratem quod attinet, porrigit is quidem purgantia modò cum sorbitionibus quibusdam: modò post ea ptisanam sorbendam propinat. Verum non nutritionis: sed voluptatis, utilitatis, aut necessitatis gratiâ. Voluptatis quidem ergò: ut purgantia gustui fiant gratiora, ventriculoq́; acceptiora. Utilitatis verò ac necessitatis causâ, ut malitia eorum infringatur: ut citiùs faciliùsq; ad partes distantiores perferantur: ut ab orificio ventriculi abstergantur, atq; ad fundum illius abeant: ne orificium, quod sensus est*

eximij, offendant: velut reliquiæ tùm pharmaci assumpti, tùm attractorum humorum abluantur, atq; ad alvum ablegentur. Quam ipsam ob causam etiam practici nostræ ætatis duabus, tribus, aut quatuor horis à pharmaci sumptione detergentem aliquam sorbitionem dare consueverunt. Ex ipso verò Hippocrate probari minimè potest, eum solutiva pharmaca in pastu ordinario admisisse. Distinguendum ergò inter sorbitionem, v. g. brodium, ptisanam, lac, vinum, &c: & prandium, vel cœnam. Purgantia cum sorbitionibus alimentarijs dictas ob causas exhibuisse Hippocratem concedimus: inter prandendum verò, cœnandumve dedisse pernegamus. Quantum ad Galenum, *dicimus, eum l. 5. de tuend. san. c. 9. non de medicinis solutivis, sed tantùm de alvũ laxantibus, fæcesq; educentibus, verba facere: quas cum cibis sumi posse non inficiamur. Libro verò 13. meth. med. c. 15. docet, eos, quibus cava hepatis inflammata sunt, partim per clysteres: partim verò per subductoria purgandos esse pharmaca: hæcq; vel cibis quibusdam admisceri: vel ptisanæ incoqui, aut inspergi: vel cum melicrato dari posse. At in principio pastus usurpanda esse, ne verbo quidem meminit. Itaq; rursus inter pastum ordinarium, & aliquem cibum, ac sorbitionem diligenter distinguendum.* Aëtij authoritas *impertinenter allegatur. Sensus enim verborum eius est, pharmaca tàm lenitiva, quæ ventrem solùm molliunt: quàm solutiva, quæ vitiosos humores extrahunt, jucundis admisceri debere edulijs: ut & sanis, qui naturaliter alvum habent adstrictam, & convalescentibus, & diuturno detentis morbo, commodetur: quò redundans humor paulatim & latenter detrahatur. Quare iterum cibus aliquis cum pastu ordinario atq; integro confunditur. Vina verò purgantia Aëtius ante cibationem propinat: velut ex cap. 58. 62. & 69. tetr. 1. serm 3. apparet. Vnde etiam ea inter illas potiones, quæ* προπόματα *c. 57. vocat, quòd ante cibum bibantur, refert. Ad caput 61. ubi vinum polypodites in prandio, medios inter cibos, offert, respondemus, vinum illud*

lud non tàm solutivum, quàm lenitivum & ἐκκοπρωτικὸν esse. Nil enim præter radices polypodij, epithymum, mastichem, & spicam nardi habet. Et Aëtius illud non purum & sincerum, sed aquâ calidâ temperatum exhibet. Licet autem Dioscorides l.4. c. mihi 166. Paulus l.7. c.3. Oribas. l.1. synops. c.17. l.7. coll. c. 27. & l.1. euporist. c.9. Aëtius tetr.1. s.3. c.30. polypodio vim purgatricem tribuãt: Manardus tamen id leviter admodum purgare scribit. Dodonæus experientiâ edoctus facultatem catharticam ei prorsus derogat: ad alvi autem solùm subductionem facere ait, si cum beta, malva, aliisq; lenientibus medicinis, aut in jure galli veteris elixetur. A cuius sententia non longè Fernelius abest. Nam l.5. meth. med. c. 14. polypodium in eorum classe collocat, quæ à veteribus quidem pro purgantibus habita fuerunt: sed hac tempestate, his ve regionibus, nulla, aut certè quàm minima deÿciendi facultate pollent: ut proinde non purgantibus, sed iis, quæ ad purgandum juvant, & præparant, adscribantur. Hinc refert Camerarius in horto, anus medicastras tres uncias radicum polypodij alicui liquori incoquere: & tamen sine efficacia nonnunquam dare. Eadem in classe Fernelius epithymum reponit: tametsi Dioscorides illud l.4. c. mihi 159. Paulus l.7. c.4. Aëtius tetr.1. serm. 3. c. 29. & tetr.1. serm. 1. & Oribasius l.1. synops. c. 17: & l.7. collect. c. 27. inter verè purgantia connumerent. Sed rationibus modò respondeamus. Ad primam dicimus, opus non esse, ut vina cathartica differantur in tempus prandij. Possunt enim etiam tribus quatuorve horis ante prandium capi: prægustato tamen jusculo. Sic enim caput minus turbatur, & ventriculus ab actuali illorum frigiditate minus offenditur. Ne autem vis eorum frangatur, eiusmodi juscula eligi possunt, quæ simul sint medicata: & vinorum facultates juvent: aut saltem promoveant: præmittendo v.g. vinis diureticis, lithontripticis, & renes, ureteres, heparq; deobstruentibus, juscula cicerum rubrorum; aut quibus radices petroselini & fœniculi sint incocta; cephalicis, quæ macem, vel majoranam habeant admi-

stam:

ſtam: thoracicis, quibus ſaccharum, hordeum, thymus, aut ſimile quid, quod culinis aliâs uſitatum, adjunctum. Ad ſecundam. *Præmiſſis juſculis ſine nauſea vina hæc bibuntur, facileq; retinentur: ut neceſſe minimè ſit, inter prandendum ea haurire. Adde quòd non omnia omnibus nauſeam pariant. Non omnia: quia non omnia ingrata: & quæ ingrata, ſimplicibus fragrantibus, atq; ſapidis ſuaviora reddi queunt. Non omnibus: quoniam non omnes à pharmacia abhorrent: neq; omnes ſunt delicatuli.* Ad tertiam. *Etiam illi ſacculi, qui manè, præaſſumpto juſculo, uſurpantur, teneras infirmasq; naturas leniter vacuant. Harum enim causâ ex benignioribus conficiuntur pharmacis: & minori in quantitate offeruntur. Adde quòd infuſio eorum non prorſus pura ſit & impermiſta: quia ab hauſto juſculo nonnihil alterata. Itaq; nil attinet, prandij tempore eorum adhibere uſum, & quidem cum detrimento laborantium.*

II.

An quod indicat purgationem, etiam purgationis quantitatem indicet? *Numero & ſubjecto idem videtur indicans purgationis, & illius quantitatis eſſe: nimirum* κακοχυμία *diſput. 2. deſcripta:* τῷ δὲ λόγῳ, *ratione verò ac definitione diverſum.* Κακοχυμία *enim per ſuam naturam atq; eſſentiam purgationem indicat: per ſuam verò actionem & vehementiam, quæ eſſentiam comitatur, purgationis quantitatem. Summa quidem illius actio, ſive magnitudo, maximam indicat purgationis quantitatem: mediocris mediocrem: magna ſimpliciter juſtam, & magnitudini proportionalem. Ex quo duo inferimus.* Primùm, *virtutem, propriè ac ſpecificè indicantis vocabulo accepto, quantitatem purgationis minimè indicare: ſed à magnitudine* κακοχυμίας *indicatam vel permittere: vel prohibere: vel leviorem ſaltem ſuadere; vel iteratam poſtulare. Cauſa eſt: quia quod* κακοχυμία, *indicans præſervatorium, indicat, virtus, indicans vitale, indicare nequit: idq; propterea: quia hæc indicantia inter ſe confunderentur:*

rentur: & aliud esset, quod indicaret, aliud quod curaretur, si virtus quantitatem purgationis indicare diceretur. Deinde temperamentum, habitum corporis, ætatem, sexum, regionem, anni tempus, præcedentem victus rationem, vitæ studium, quantitatem purgationis nõ determinare: (hoc enim solius cacochymiæ magnitudinem facere jam dictum fuit) ad inveniendã tamen quantitatem plurimùm inservire: quatenus nimirum magnitudinem indicantis cacochymiæ patefaciunt: & virtutis robur detegunt. Nam habitus corporis rarus, mollis, & laxus: ætas puerilis ac senilis: sexus muliebris: regio fervida: æstas, mediaq; potissimùm illius pars, per se & directè neq; purgationem, neq; eius quantitatem indicant: sed signa duntaxat sunt eiusmodi virtutis, quæ largam copiosamq; purgationem minimè tolerat. Contrà, habitus densus, durus, atq; compactus: ætas juvenilis & virilis: sexus masculeus: regio temperata: anni tempus vernum & autumnale: pulsus insuper vehemens, æqualis, & magnus, indicia sunt talis virtutis, quæ validiorem purgationem ferre potest. Sic manifesta, evidentia, maximèq; conspicua bilis, melancholiæ, pituitæ, & seri signa magnitudinem & copiam cacochymiæ produnt: quæ, si virtus non reclamet, fortiorem uberioremq; κάθαρσιν indicat: ut inter indicans & indicatum justa sit proportio. Quæ autem illa signa sint, præclarè Galenus tùm alibi, tùm comment. 4. aphor. 2. & l. de plenitud. c. ult. necnon Avicenna l. 1. can. fen. 2. doctr. 3. c. 7. & Fernelius l. 2. παθολογ. à cap. 15. usq; ad 19. docent.

III.

Utrum liceat usque ad animi defectionem purgare?

Disputatione de venæ sectione 20. ostendimus, veteres nonnunquam sanguinem usque ad animi deliquium detraxisse. Hîc rogatur, an ad idem usq; etiam purgare sit integrum? Ad quam quæstionem negativè respondemus, sequentes ob causas. I. quia venæ sectio usq; ad λειποθυμίαν Galeno quodammodo fuit suspecta, neque unquam, nisi summa urgente necessitate, viribusq; constanti-

O

bus, & annuente ætate, ab eodem tentata: velut allegata in disput. indicavimus. Itaq; suspecta magis nobis debet esse illa purgatio, quæ ad animi deliquium hominem deducit. Nam venæ sectio in nostro sita est arbitrio, adeò ut sistere sanguinis vacuationē liceat, quandocunq; libuerit. Purgatio nequaquam. Quod enim semel in ventrem ingestum est pharmacum, inquit Galenus l. de cur. rat. per S.M.c.12. quò minus totum sit assumptum fieri non potest: nec licet, ubi plus æquo jam homo purgatur, partem eius, quod est oblatum, auferre. II. quia vis pharmaci cathartici non ita regi ac gubernari potest, ut tantùm λειποθυμίαν *excitet: non etiam ulteriùs progrediēdo syncopen, aut convulsionē, symptoma, Hippocratis judicio aph. 1. & 4. s. 5. in purgationibus lethale, pariat. III. quia nulla necessitas urget, ut una vice tā periculosā purgationē, instituamus qua adstantes terrentur: Medici fama & existimatio periclitatur: ægri ita nonnunquam læduntur, ut illatam noxam difficulter admodum corrigere queant. Nam quod expurgandum restat, vice alia expurgari commodè potest. Oportet enim nō solùm* βραχέως, *CITÒ: sed etiam* ἀσφαλαίως καὶ ἀνωδύνως, *TUTÒ & IUCUNDÈ medicari: ait Galenus l. 14. meth. med. c. 13. IV. quia ejusmodi purgatio vires supra modum debilitat, &* ὑπερκαθάρσεις *facit: estq; ex genere extremarum vacuationum, quas Hippocrates aphor. 3. sect. 1. & aphor. 51. sect. 2. damnat, & periculosas proclamat. V. quia Galenus l. de cur. rat. per S.M c.12. & l. 9. meth. med. c. 10. memorabilia refert exempla eorum, qui præ sanguinis vacuatione ad* λειποθυμίαν *usq; facta interierunt. Fieri ergò potest, ut quis etiam præ nimia purgatione exanimetur: & quidem tantò magis, quantò purgatio sanguinis missione fortior est atq; violentior. Violentiorem autē esse ex disp. 2. probl. 1. de ven. sect. constat.* Notandum *hîc, intelligere nos* λειποθυμίαν *non eam, quæ etiam mediocriter purgatis ob pravos humores orificium ventriculi affligentes quandoq; accidit: sed quæ vacuationis ratione excitatur: idq; ob effrænatam vim atq; potentiam purgantis pharmaci.*

Num

IV.

Num vitiosus humor prorsus, &, ut loquuntur, eradicativè eximendus sit, si corpus vel à futuro morbo præservari: vel à præsenti liberari debeat? *Axioma est* θεραπευτικόν, *quicquid alienum ac præter naturã est, & à naturali statu eò usq; recessit, ut neq; diætâ emendari, neq; naturæ calorisq; beneficio in pristinam bonitatem reduci, neq; alterantibus medicamentis ad meliorem convenientioremq; statum revocari poßit, tollendũ esse. Talis cum sit humor noxius, qui vel futurum minatur morbum: vel jam de facto morbum peperit, quis non videt, eum sui evacuatione opus habere? Sed hîc quæritur, an stirpitùs evellendus? Respondemus stirpitùs quidem: verum cum discretione. Ponamus n. illius causâ institutam jam fuisse purgationem: portionem autem derelictam esse, quæ vel ob infirmitatem pharmaci, vel debilitatẽ patientis, vel causam aliam evacuari non potuerit. Quæstio jã est, an residuum purgante pharmaco detrahendum? Dicimus, residuũ vel esse paucum atq; exiguum: vel multum & copiosum. Illud purgationis egere minimè videtur: quia parvum & leve vitium magnum & generosum præsidium, quale purgatio est, non indicat. Itaq; vel naturæ & calori nativo consumendum discutiendumq; relinquitur: vel leviori vacuationis genere, v.g. exercitatione, frictione, inunctione calorificâ, balneo, inediâ, aut tenui saltem diætâ dissipandum. Hoc verò, nisi spontaneo naturæ motu excernatur, iteratâ purgatione eximendum. Ratio est: quoniam bonos & utiles humores inquinat: recensq; adveniens alimentum contaminat: sicq; recidivam causatur. Quod optimè sciens Hippocrates aphor. 12 sect. 2. dicebat, quæ in morbis relinquuntur, recidivos facere morbos solere: & aphor. 10. sect. eiusdem affirmabat, impura corpora quò plus nutriuntur, eò magis lædi.*

V.

An vitiosus humor simul & semel totus: an partitis vicibus expurgandus? *Quemadmodum veteres modò vice una tã-*

tum mittebant sanguinis, quantum causa mali postulabat: modò missionẽ illius in aliquot vices dividebant: idq́ propter causas disp. 21. de ven. sect. probl. 4. & 5. in medium allatas: ita quoq; nunc cacachymiam simul & semel totam exhauriebant: nunc verò purgationem partiebantur, & per ἐπίκρασιν, *repetitis vicibus illam eximebant: idq́ faciebant exemplo naturæ. Hæc enim utrumq́ purgandi modum observat. Nam in crisibus perfectis totam pravorum humorum colluviem simul & semel excernit. Aliâs verò paulatim & pedetentim, pluribusq; vicibus; uti in diarrhœis & dysenterijs videre licet. Quam naturæ priscorumq́ medendi artificum consuetudinem etiam nostrates Medici adhuc hodierno seculo imitantur. Nunc enim unica purgatione totum, quod peccat, evacuant: nunc sacculos & nodulos ægrotantibus præscribunt: ut quicquid vitiosorum humorum derelictum est in sentina corporis,* κατ' ὀλίγον, *sensim paulatimq; educant. Ut ergò quandò semel atq; universè: quandò verò partitè purgandum sit, constet, vires, humores, & corpora distinguenda sunt.* Nam vires *vel constant: vel imbecillitate laborant.* Humores *ratione quantitatis aut copiosi sunt, aut pauci. Ratione qualitatis aut tenues, aut crassi, lenti, atq; viscidi: item aut crudi, aut concocti: & quidem tales vel secundũ totum: vel tantùm secundum aliquam partem. Ratione motus aut turgidi, aut quieti. Ratione situs aut toti simul in uno loco contenti: aut in varias partes diffusi atq; disjecti: ita ut portio in ventriculo: portio in intestinis: portio in venis: portio in capite: portio deniq; alibi consistat.* Corpora *vel benè ferunt purgationes, nullaq́ gravia symptomata inde sentiunt: vel malè: ut sunt qui naturâ à pharmacis abhorrent: qui ventriculum habẽt debilem, aut orificium illius valdè sensile: qui levi occasione animo deficiunt: qui in decrepitâ, puerilive sunt ætate constituti. His præmissis distinctionibus, decisionem problematis sequentibus complectimur conclusionibus.* Prima est: *simul & semel purgare licet, sive præservationis, sive curationis gratiâ purgatio instituatur, cum virtus*

est

est valida: materia pauca, uno loco contenta, arte vel naturâ ad evacuationem præparata. Ratio est: quia futurus morbus rectiùs præcavetur, quando citò & festinè, una scil. vice, causa illius tollitur. Præsens autem abbreviatur, multorumq́ symptomatum generatio inhibetur. Adde quòd ejusmodi purgatio sine virium decerni poßit dispendio. Pauca enim præsupponitur κακοχυμία: *quæ leviori mitiori'q́ pharmaco opus habet. Quare temerè pluries torquetur, qui unâ purgatione restitui potest.* Secunda: *partitè purgandum sequentibus in casibus.* Primùm, *quando virtus est debilis, sive modica, sive copiosa sit cacochymiæ materia. Talis quippe purgatio citra corporis offensionem, citra perturbationem ullam, citraq́ naturæ jacturam fieri solet.* Deinde, *cùm materia admodum est copiosa, seu langueat, seu valeat virtus. Nam languida virtus universè factam purgationem tolerare nequit. Ad hanc enim in multa* κακοχυμίᾳ *validum requiritur* καθαρτικόν: *cujus vim & impetum imbecilla virtus ferre non potest. Virtus verò robusta etsi fortè confertam purgationem sustinere queat: eam tamen deijcere minimè expedit. Præstat ergò tutò, quàm citò, & cum periculo purgare: meliusq́ est, uti* ἐπικράσει: *h.e. nunc educere, quod est à natura alienum: nunc verò ægrum reficere.* Tertiò, *quando materia variis in locis est collecta: v.g. in ventriculo, intestinis, venis, alibi. Nam quæ in ventriculo hæret, promptè expurgatur vomitorijs: quæ in intestinis, clysteribus: quæ in venis, subductorijs medicinis. At remedia hæc uno eodemq́ tempore usurpari non possunt. Eadem ratio est, si in partibus distantioribus, e.c. in capite, articulis, &c: materia sit coacervata. Una namq́ vice sine insigni corporis agitatione in alvum derivari nequit.* Quartò, *cum materia se habet inæqualiter: & pars illius est cocta, pars cruda. Item pars tenuis, pars crassa, aut viscosa. Deniq́ pars quieta, pars in motu, & ad exitum parata. Hoc enim in casu quod coctum est, tenue, & fluxile, expurgandum: quod crudum, crassum, & viscosum, coquēdum, attenuādum, incidendum, demumq́ evacuandū.* Quintò,

cùm patiens dictas ob causas medicationes ægrè molestèq́ fert. Fortia siquidem pharmaca, quæ cacochymian eximunt ἀθρόως, *citra laborem, viriumq́ exolutionem minimè patitur. Facilè contrà benigna, quæ iteratis vicibus* κακοχυμίαν *blandè exhauriunt.*

VI.

Nunquid sitis perfectæ purgationis sit indicium? *Ita quidem persuasum habet Hippocrates aphor. 19. sect. 4. cui subscribit Avicenna l. 1. canon. fen. 4. doctr. 5. cap. 4. & 6. Verum obijci posset, quosdam valdè siticulosos esse, quibus scilicet ventriculus est calidus atq́ siccus: alios, quibus is est frigidus & humidus, non itē. Fieri ergò posse, ut hi etiam purgatione completâ non sitiant: illi verò & antè, & in purgationis actu potum appetant. Itaq́ sitim sufficientis purgationis signum minimè videri. Ut igitur huic, & similibus objectionibus Galenus occurrat, sitim in commento aphor. allegati distinguit: taciteq́ eam in* subsequentem & præoccupantem *dividit. Subsequens est, quæ actum purgationis sequitur. Præoccupans, quæ vel purgationem antecedit: vel adhuc ipsâ durante accidit. Illa fit ratione vacuationis. Vacuatio enim siccitatem parit: siccitas autem sitim adfert. Hæc vacuationem causam non habet: sed, authore Galeno loco citato, vel caliditatem, siccitatem, aut qualitatem utramq́ ventriculi: eamq́ tàm accidentariam, quàm nativam: vel purgantis pharmaci caliditatem, acrimoniam, & mordacitatem: vel caliditatem & siccitatem humoris vacuati, v. g. biliosi.* Subsequens *ergò* sitis *perfectæ purgationis indicium est. Significat enim medicamentum deficientibus humoribus pravis, quos expurgavit, humidam corporis & vētriculi substantiam aggredi, deq́ ea aliquid absumere: ita ut mediante nativæ humiditatis diminutione vitiosos humores, qui abundabant, sufficienter eductos esse testetur. Idq́ eò certiùs & evidentiùs, si alia quoq́ perfectæ purgationis signa appareant: quorū duo genera Hippocrates aphor. 2. 23. & 25. sect. 1. nec non aphor 2. & 3. sect. 4. tradit. I. si talia purgentur, qualia oportet purgari: h. e. si humores, quos exuperâsse, & corpori nocuisse conjectura fuerat,*

educantur. II. si patientes benè ferant: h.e. utilitatem ex purgatione percipiant: v.g. se ipsis quasi leviores fiant: vires recuperent: colorem vividum recipiant: meliùs appetant: placidiùs dormiant: à doloribus, vigilijs, alijsq́ʒ, quibus affligebantur, symptomatibus sese vindicatos solutosq́ʒ sentiant. Præoccupans *non item: quia non vacuationem: sed alias causas, quæ expositæ, agnoscit.* Obiicies, *saltem in ijs, quibus ventriculus humidior frigidiorq́ʒ est, aut à prima nativitate, aut tempore purgationis: vel quibus pituitosi, aquosive humores purgati: vel qui catharticum mordacitatis expers assumserunt, sitim peractæ purgationis signū non esse: eò quod ejusmodi homines longo tempore sine siti perseverare soleant. Respondet Galenus com. 4. aphor. 19. etiam hos, quando abundè purgati sunt, sitire. Excitatam enim ex evacuatione siccitatem sitim gignere posse. Accedere præterea vim purgatorij medicaminis, quod licet manifestam & sensibilem acrimoniam atqʒ caliditatem non habeat: habet tamen latentem atqʒ obscuram.*

VII.

Sitné perfectio & bonitas purgationis quantitate, an qualitate dejectionum æstimanda? *Utrâqʒ. Non enim perfecta & bona, utilis ve dici meretur illa purgatio, qua multa quidē, at non convenientia: aut convenientia quidem, sed non sufficienter evacuantur. Nam si multa solùm excernantur, sed* ἀλλότρια, *talia scil. quæ morbi causa non fuerunt: nil juvatur æger: quia causa mali manet: imò potiùs læditur: quoniam humores non vacuandi vacuantur: spiritusq́ʒ minuuntur: & vires debilitantur. Rursus si convenientia quidem expurgentur, sed imperfectè, aliquid quidē levaminis æger sentit: sed à morbo non liberatur: aut si liberatus videatur, brevi tamen recidivam patitur: nimirum propter* τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα, *quæ secundum Hippocratem aphor. 12. sect. 2.* ὑποστροφὰς *facere consueverunt. Unde idem Hippocrates in perfectis vacuationibus naturalibus conditionem utramq́ʒ, nimirum quantitatis sufficientiam, & qualitatis congruentiam passim in aphorismis, prognosticis, prorheticis, & prædictionibus Coacis re-*

quirit. Vult enim talia semper purganda esse, οἷα δεῖ καθαίρεσθαι: & quidem ἀρτίως, καὶ ἀπαρτὶ, plenè, integrè, atq; indeficienter. Dices, *eundem tamen aphor. 23. sect. 1. monere, τὰ χωρέοντα, quæ vacuantur, non τῷ πλήθει, copiâ & multitudine metienda esse: sed potiùs qualitate: si scil. talia vacuentur, qualia decet vacuari, & ægri facilè ferant. Respondemus, Hippocratem quantitatis considerationem non excludere: sed stultam vulgi, imperitorumq; medicastrorum opinionem taxare: qui in vacuationibus copiam dũtaxat eorum, quæ vacuantur, expendunt: de qualitate autem & εὐφορίᾳ laborantium parum sunt solliciti. Hausto enim purgante medicamento, unicum hoc optãt, ut & sæpè, & copiosè dejiciat: siq; ita dejecit, totaq; vasa excrementis implevit, egregium fuisse catharticũ, naturæq; ægrotantis accommodatissimum persuasum habent: cum tamen vel inprimis ad qualitatem excretorum respiciendum sit: an scil. talia sint purgata, qualia purgari oportebat: h. e. illi humores sint exempti, qui peccabant, naturæq; molesti erant, & vel futurum ægritudinem minabantur: vel præsentem generabant. Hi enim si educantur, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι, inquit Hippocrates aphor. 2 sect. 1. Si verò alij, qui mali causa non sunt, detrahantur, τοὐναντίον, contrarium accidit: h. e. neq; conducit, neq; ægrotantes benè facilèq; ferunt. Ratio patet ex suprà dictis: quoniam ex vacuatione eorum, quæ vacuare nihil attinebat, vires tantùm dissolvuntur ac debilitantur: & morbus interim persistit, siquidem causa illius non sit extirpata.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I. An quæ de mutatione sexus in sexum à quibusdam dicuntur authoribus fabulosa sint? A.

II. Vtrum amantes ut amentes curandi? A.

III. Verùmne sit, quod Hippocrates aphor. 43. sect. 7. scribit, mulierem non fieri ἀμφιδέξιον? Magna ex parte.

IV. Num ver ab eodem saluberrimũ, & minimè exitiosum: cõtrà autumnus morborũ acutorũ & perniciosorũ feracissimus rectè dicatur aphor. 9. s. 3? A.

V. Nunquid asthma benè inter pueriles & seniles morbos numeretur, aph. 26. & 31. sect. 3? A.

VI. Possintne omnes morbi omnibus fieri anni temporibus? Ita placet Hippocrati aphor. 19. s. 3.

FINIS.

DISPUTATIO
DE
PURGATIONE
DECIMA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore
Medico:

Respondente

M. JOANNE REINHARDO FABRO
Argentoratensi.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



VIRO

REVERENDO, CLARISSIMO,

Eloquentißimo, Doctißimo,

DN. MARCO FLORO: Collegij Thomani apud Argentoratenses Præposito dignissimo, & Eloquentiæ in eorundem Academia Professori florentissimo:

Meo è Sacro Baptismatis fonte Susceptori, Patrono & Promotori omni observantiæ cultu prosequendo,

Hanc disputationem Medicam in grati animi symbolum Dico, Dedico,

M. Johan. Reinhardus Faber.



PROBLEMA I.



N potiones purgatoriæ calidæ, tepidæ, aut frigidæ hauriendæ? *Frigidæ jejunum stomachum offendunt. Tepidæ eundem relaxant, & tonum illius dissolvunt: ideóq; eum subvertunt, & vomitum movent. Calidæ vapore suo nares feriunt, nauseamq; pariunt, antequam ori admoveantur. Quæritur ergò, sub qua qualitate sumendæ? Respondemus sub calidâ, si æger à pharmacis non abhorreat, neq; deglutita facilè vomitu reijciat. Ratio est triplex: I. quia calefactæ potiones citiùs in actũ deducuntur: ac proinde etiã temporiùs operantur. II. quia altiùs penetrant. Calor enim magis sese insinuat, quàm frigus. III. quia ventriculum, qui pharmaca sumpturus cibis vacuus esse debet, minus lædũt. Quodsi patiens purgantia aversetur, haustaq; promptè revomat, censemus, potiones frigidiusculas illi propinandas esse. Sic enim odorem earum minus sentiet: & ingestas faciliùs retinebit.*

II.

Utrum post purgantia abluentibus detergentibusq; utendum sit sorbitionibus? *Negantem defendit Vallesius l. 7. controvers. c. 17. Sed Leonhartus Fuchsius l. 2. Instit. sect. 5. c. 22. problema hoc distinguendo decidit. Ab assumpto pharmaco, inquit, nihil offerendum est, ne ejus actio impediatur: nisi os ventriculi naturâ admodum sensile ac imbecillum purgantis medicamenti acrimoniam sustinere non possit, adeóq; syncopen minetur. Tunc enim ptisanæ cremor, aut etiam jus cicerum cum saccharo, ut quæ gulam, & os ventriculi vellicant, detergeantur, exhiberi potest. Quodsi verò prosperè, & citra ullius symptomatis accessionem purgatio procedit, nihil penitùs attentandum: sed satis erit, si æger ab immodico tùm calore, tùm frigore se tueatur. Distinguit ergò*

pharmaca & orificium ventriculi. Illa enim vel sunt vehementia, acria, atq; mordacia: vel blanda, mitia, & acrimoniæ mordacitatisq; expertia. Hoc aut facilè propter sensus excellentiam læditur: aut quia sensus est obtusioris, ad noxam recipiendam non ita est proclive. Post blanda cathartica nihil offert, ne vis illorum frangatur. Post vehementia verò, si orificium ventriculi ob sensus acumen promptè offendatur, jusculis abluendi detergendiq; virtute præditis utitur: & quidem mox à pharmacis sumptis, cùm operationis suæ nullum adhuc initium fecerunt. Hanc suam sententiam etiam lib. 1. paradox. c. 8. ponit: & tùm Hippocratis, tùm Galeni stabilire authoritate nititur. Hippocratis quidem: quia l. de vict. acut. scribit, ubi quis medicamentum purgans ebibit, (mẽtionem autem præcedenti textu hellebori nigri & peplij, quæ admodum sunt valida, fecerat) ptisanam protinus dari debere. Galeni verò comment. 2. in hunc librum t. 13. (Iuntarum editio perperàm habet t. 12.) vbi talia fatur. Maximè quidem ventris ori, quod & stomachum vocant, ut in purgantium medicamentorum potibus illæsum maneat, consulere oportet: præsertimq; cũ febricitãtibus tale quippiam propinatur. Verum præcipua, ne offendatur, cautio est, si medicamentum, quod offertur, purum non sit: sed cum alijs, quæ malitiam ipsius hebetare nata sint, temperatũ mistumq;. Omnium enim catharticorum natura corporum, quæ purgantur, naturis contraria est: atq;, ut quispiam dixerit, lethalis & deleteria. Ut autem succi papaveris, mandragoræ, hyoscyami, & similium simplicium, quæ nobis & substantiâ, & viribus adversa, corpus perimere possunt, exiguam assumentes portionem, magnam percipimus utilitatem: sic & purgantium medicamentorum, quorum natura corporibus nostris inimica est, exiguã aliquam partem præcidentes ad suppetias ferendas utimur. Quo item modo in horum medicaminum potu semina quædam, quæ boni sint odoris, miscemus: quæ & malitiam obtundant: & operationem eorum non impediant, tenuandi incidendiq; facultatem obtinen-

tinentia, ita ut crassos incidant humores, & vias, quibus vacuatio fit, aperiant. Sic & à sumpto medicamento ptisanam sorbére confert. *Nempe purgans medicamentum ipsum, tanquam exiguum sit, ad ventris quidem fundum pervenit. Sed, dum transit, stomachus, & quæcumque ventris sublimior pars non qualitatem medicamenti purgantis modò, verum & substantiæ, quæ in transitu hæret, aliquid assumens, vehementer læditur. Ptisanæ igitur cremor superingestus commoditatem affert. Nempe & detergere, & deorsum trahere, quod viæ adhæret, & qualitatem medicamenti, quod his adhæret partibus, tùm contemperare, tùm permutare potest. Ob eas ergò causas à purgantis pharmaci potu, ptisanam sorberi præcipit: sed, ubi purgatio cœpit, ab ea vult abstineri, purgantis operationem exolvi veritus.* Hactenus Galenus. *Cujus ultima verba de ptisanæ usu post sumptum purgans etiam* Oribasius *l. 7. collect. c. 23. habet. Et* Paulus *l. 7. c. 6. ab omni cibo ac potu abstinendum monet, donec medicamentum suo munere sit perfunctum. Si verò patiens inediam ferre nequeat, tùm alia, tùm ptisanæ cremorem concedit: non ubi jam purgatio incepit: sed statim post medicamenti potum. Cujus sententiæ etiam est* Avicenna *l. 1. can. fen. 4. doctr. 5. c. 5.* Fernelius *l. 3. meth. med. c. 14. nihil ciborum exhibet, nisi purgans ita è ventriculo cesiderit, ut nullus eius odor, nullus ructus, nulla nausea, nullaque stomachi rosio subsit. Cibum enim medicamenti permistione corrumpi dicit. Peractâ verò purgatione, in principio pastus detergentem dat sorbitionem, quæ medicamenti reliquias eluat, & quò decet impellat, simulque ventriculi interiora oblinens omnem medicamenti qualitatem tædiaque demulceat.* Ex istis ergò authoribus *constat, vel nullas sorbitiones post purgantia ingerendas esse: vel si omninò ingerendæ sint, non tamen cùm adhuc operantur; sed aut ante, aut post operationem ingeri debere.* Verum *mos & consuetudo nostræ ætatis Medicorum est, ut abluentia detergentiaque jusculа aliquot horis post catharticorum assumptionem præscribant.*

Quam sanè nos quoq; sequimur: utilemq; esse experientiâ & ratione probamus. Experientiâ quidem: quia videmus, jusculis hisce medicationem promoveri. Iis enim epotis aliquot adhuc sedes provocari in multis observamus. Ratione verò duplici: I. quia eorum usu reliquia purgantium medicamentorum abluuntur, impelluntúrq; deorsum: sicq; nausea quam in plerisq; excitant, tollitur, & meliori cum appetitu capitur prandium. II. quia quod adhuc reliquum est in vẽtriculo vitiosorum humorum, quod quidem à purgantibus est attractum, eluitur, & ad intestina, veluti corporis sentinam atque cloacam amandatur: ne, si maneat, cum cibo misceatur, eumq; inficiat atq; corrumpat. Interim Hippocratis & Galeni institutum neutiquam damnamus, qui immediatè post fortiorum purgantium usum, à quibus metus est, ne orificium ventriculi lædatur, detersionis causâ ptisanam sorbendam dabant. In Fuchsij tamen & Vallesij abire sententiam non possumus, qui abluentia detergentiaq; hæc juscula improbabant propterea, quòd catharticorum actionem interturbarent atq; impedirent. Non enim statim post ea: neq; dum adhuc in medio sunt operationis cursu, exhibemus: sed tribus, quatuorve horis pòst; cum scil. purgatio ferè est absoluta. Et mirum sanè est, vereri Fuchsium, ne haustis jusculis actio purgatrix cohibeatur: cum tamen idem ptisanæ usum immediatè post validiora medicamina concedat. Nam si ptisana catharticam operationem minimè frangit atq; obtundit, cum tamen vix sumptum pharmacum integris viribus contingat: quomodo quæso juscula nostra, quæ purgatione penè finitâ, & pharmaco majori ex parte è ventriculo pulso offeruntur, eandem hebetabunt languidioremq; reddent?

III.

Rectène nostrates practici pro detersione reliquiarum tùm pharmaci, tùm attractorum humorum, jus pisorum præscribant? *Scopum quidem & finem practicorum probamus: sed medium, quo illum consequi conantur, laudare non possumus.*

Nam

Nam purgatis ferè corporibus detersionis ergò jus pisorum nudum, sine sale, sine pane, sineq; butyro paratum commendant: cum tamen neq; pisa ipsa, neq; aqua, in qua coquuntur, ullam detergendi facultatem habeant. Et de aqua quidem res est notoria. De pisis verò consulantur scriptores omnes, qui aliquid literarum monumentis de illorũ virtutibus consignârũt. Nullus, opinamur, allegabitur, qui vim detersoriam ijs tribuisset. Imò Galenus, quem Oribasius lib. 1. collect. c. 19. Fuchsius, Matthiolus, & Dodonæus sequuntur, lib. 1. de alim. fac. c. 21. scribit, pisa totâ quidem substãtiâ fabis esse similia: differre tamen ab illis primùm in eo, quòd non æquè, ac fabæ, sint flatulenta: deinde quòd detergendi facultate careãt: *quam ob causam etiam segniùs, quàm fabæ, per alvum secedant. Errandi verò occasionem præbuisse* Hieronymus Tragus *videtur, qui pisum putavit esse cicer arietinum, à Dioscoride l. 2. cap. mihi 96. descriptum: ac propterea omnes illas virtutes, quas Dioscorides ciceri isti assignat, piso inesse docuit: quod tamen falsum esse experientia testatur. Non enim ciceris in modum urinam ciet, colorem emendat, menses ac partus expellit, lac auget, hydropicis & regio morbo laborantibus prodest, scabiei medetur, manantibus capitis ulceribus opem fert, & impetigines sanat: sed potiùs obstruit, inflat, nihilq; detersoriæ facultatis habet, cujus ratione cutis vitijs commodare possit. Hùc accedit, quòd pisum non, ut cicer, arietini capitis figuram referat. Item quòd non ciceris voce græcâ apud Græcos exprimatur. Neq; enim* ἐρέβινθος, *quæ vox cicer sonat: sed* πισὸν, καὶ λέκιθος *ab ijs dici consuevit.* λέκιθος *quippe, h. e. vitelli ovi colorem & formam repræsentat.* Rectiùs *ergò pro pisorum decocto jus cicerum eligitur. Hoc enim illud est, quod detergendi vi pollet. Quodsi præ cæteris leguminibus tantoperè pisa placẽt practicis, possent, nostro quidem judicio, ne errorẽ suum vulgo proderent, eorum quidẽ decoctum servare: attamen, ut extergendi virtutem haberet, sale condire. Sal namq;* ῥυπτικὸν *est: & optimum ferculorum condimentum.*

An

IV.

An ab assumpto pharmaco purgante dormire liceat? *Ad hanc quæstionem tripliciter respondent authores: alij quidem affirmando: alij verò negando: alij denique distinguendo.* Affirmantem *tenet* Fernelius *l. 3. meth. med. c. 14. Utile, inquit, est, præsertim si (quod ferè fit,) inexpugnabilis dormiendi necessitas premit, medicamento indormire, ut illius vis in sopore plenior excitetur. Cum primum v. in actum id prorumpit, vigilandum penitus est, dum effectum omnem compleverit. Nam arctiore somno purgationis opus subsistit: quemadmodum Hipp. aphor. 14. & 15. sect. 4. docet. Huic rationi potest & ista addi: quia per somnum calor concentratur: velut ex l. 6. epidem. sect. 4. liquet. Concentratus autem & malitiam pharmaci obtundit: & vim effrænatam compescit: quia fortior.* Negantem *contrà tuetur* Paulus Æginet*a l. 7. c. 6. inquiens: in omnibus efficacibus purgatorijs homini simplici antea victu uso, jejuno, & probè factâ concoctione medicamentum dato, & ut ad perfectam usq; purgationem* ne dormiat *probibeto. Cujus opinioni suffragatur* Fuchsius *l. 2. Instit. sect. 5. c. 22. Qui, dicit, medicamentum sumsit, horam unam quiescat, nec somnum admittat: ut vis medicamenti ad universas corporis partes pertingere possit: & ne ab immodico calore, præsertim si leve fuerit, dißipetur. Omnium autem maximè à somno arcendus erit, ubi jam purgare cœperit, quod ita medicamenti actio intercipiatur.* Distinctè *verò respondent Avicenna, Valleriola, Vallesius, Vega, Iacobus Foroliviensis, Conciliator, alij: sed distinctionibus utuntur diversis.* Avicenna *namq; l. 1. Can. fen. 4. doctr. 5. c. 5. distinctionem adhibet virtutis atq; potentiæ medicaminis cathartici. Hoc enim aut validum est: aut vehemens: aut debile & benignum. Ab illius haustu somnum concedit, antequam operetur: ab huius dissuadet: quia à naturâ digereretur. Huic sententiæ subscribit* Valleriola *l. 3. loc. commun. c. 16.* Vallesius *l. 7. controvers. c. 16. hanc quidem distinctionem admittit*

mittit: sed illi addit distinctionem caloris purgandi corporis. Cum enim Medicus ponderat â pharmaci naturâ, & calore corporis considerato conyciet, pharmacum facilè posse in actum deduci, somnũ in totum arcebit. Si verò difficulter actuari posse cognoscet, modicum concedet. Vega *lib. 2. de art. med. sect. 5. c. 3. formam purgantis externam distinguit: quæ vel solida est, ut pilularum: vel liquida, ut potionum: vel media: nimirum neq; fluida, ut potionum: neq; ita tamen dura, ut pilularum: qualis media forma inesse solet bolis, qui consistentiam habẽt mollem. Post pilulas ergò dormire permittit, ut caloris & humoris vi liquentur, & tempestivè agere incipiant. Post potiones autem & bolos nequaquam: quia citò dissolvuntur, citòq; operantur: nisi magnam fortè medicamenti vim obtundere placeat: aut imbecillis sit is, qui illud sumpturus.* Conciliator *differ. 126. &* Forolivienſis *quæst. 4. super sect. 4. aphor. Hipp. varias distinctiones proponunt: purgantis scil. pharmaci, corporis purgandi, & temporis somni. Præsupponunt autem, quæstionem moueri non de leniente: sed de electivè trahente medicamento. Hoc ratione virtutis & efficaciæ faciunt triplex: forte: ut sunt helleborus, colocynthis, & scammonium: debile: ut aloë, manna, & cassia: mediocre; ut rhabarbarum & agaricus. Ratione viæ & loci, per quem purgat, subductorium: ut scammonium: vomitorium; ut helleborus: & per utramq; regionem vacuãs: ut cucumis asininus. Ratione formæ liquidum, solidum, & mediocri substantiâ præditum.* Corpus purgandum *ajunt esse aut robustum: aut imbecille: aut mediocribus viribus donatum.* Tempus somni *constituũt triplex: id, quod immediatè sumptionem pharmaci, priusquam operetur, sequitur: id, quo jam in actũ deductum vires suas exerit, corpusq; purgat: id deniq;, quo ipsius actio est absoluta. His præmissis distinctionibus sequentes tradũt conclusiones. I. à forti, & mediocri etiam pharmaco subductorio, in solidâ maximè substantiâ exhibito, priusquam operari incipiat, dormire licet, sive virtus corporis valida, sive infirma, sive*

mediocris fuerit. II. à debili pharmaco subductorio corpori robusto minimè dormiendum. Rationem dant ex Avicenna: quia vis corporis robusta illud digerit. Ex qua conclusione inferunt alias: nimirum, à mediocri medicinâ subductoriâ, præsertim in liquidâ formâ propinatâ, somnum capere non licet. Item à debili, vel etiam mediocri subductorio in solidâ formâ oblato infirmo corpori dormire est integrum. III. operante pharmaco, regulariter minimè dormiendum. Retinetur enim quod vacuari debet: uti constat ex aphor. 15. sect. 4. In casu verò necessitatis, cùm scilicet pharmacum nimis purgat, & ὑπερκάθαρσιν instituit: aut virtus valdè purgationis causâ lassata enervata est, quiescere possumus. IV. Purgatione absolutâ somnus regulariter competit: ut vires instaurentur. V. à vomitorij usu, antequam suã perfecerit operationem, somnus neutiquam admittendus. Atque hæ quidem aliorum *sunt de proposito problemate sententiæ. Nos neq; post quodcunq; : neq; post nullum purgatorium dormiendum censemus: sed cum ijs sentimus, qui distinguendo quæstionem decidunt. Non post quodcunq; : quia dantur mitia & benigna, quorum vim calor per somnum concentratus infringit: præsertim si sint liquida, mollia, & humida: sitq; calor ventriculi validus. Non post nullum: quia & fortia usurpantur: eaq; dura & solida: in formâ scil. catapotiorum, quæ in actum deducuntur difficiliùs & tardiùs. Hæc ergò modicum requirere somnum videntur: maximè in quibus calor est remißior: ut calore ad interiora revocato eorum actuatio eò faciliùs atq; citiùs promoveatur. A somno autem abstinendum putamus, cùm purgare coeperint: & vigilãdũ tamdiu, donec purgatio sit absoluta: nisi fortè, ut Forolivienssis monet, enormiùs operentur, viresq; admodum debilitent. Tunc enim somnum capere licebit: quia is & vacuationem sistit: & vires instaurat.*

V.

Sitnè delectus aliquis formæ purgantium instituendus: an

an quævis cuivis præscribenda? *Forma purgantium duplex est: solida & liquida, quæ aliâs dicitur potabilis. Illius delectum instituendum esse necessitas & utilitas suadent.* Necessitas *quidem propterea, quia multi à potionibus abhorrent: alij pilulas deglutire nequeunt. Illis ergò forma solida: his liquida ordinanda.* Utilitas *verò hoc nomine: quoniam solida ob firmitatem & & duritiem substantiæ ægriùs à ventriculo dissolvitur: ac obid tardiùs etiam actuatur. Sed quia diutiùs immoratur, potentiùs trahit. Liquida in actum citò deducitur. Unde operatur maturè. Verum ob fluxibilitatem substantiæ facilè exit.* Breviter: *solida, cæteris paribus, tardiùs quidem purgat: sed validius. Potabilis contrà. Hinc practici in more positum habent, ut, cùm partes distantiores, caput scil. nervos, & articulos purgare student, pilulas eligant. Rursus liquida ventriculi latera alluit, in eiusq; substantiam altiùs se infert: ac proinde si acribus aut malignis constet pharmacis, graviùs eam ferit. Solida minus. Promptè siquidem in fundum, intacta ferè illius substantiâ, illabitur: nec ob crassitiem ita penetrare valet.*

VI.

Utrum tardior & parcior purgatio arte citari ac promoveri queat? *Sæpissimè accidit, ut vel corporis, vel assumpti pharmaci causâ purgatio tardiùs parciùsq; procedat. Opus ergò ut citetur promoveaturq; arte. Hoc autem præstatur motu, assumptis, & in alvum foris injectis atq; infusis.* Motum *præcipit Hippocrates aphor. 14. & 15. sect. 4. Vim enim medicamenti per corpus distribuit: humores reddit fluxiles: expultricemq; facultatem ad excernendum invitat. Est autem corpus movendum moderatè & opportunè. Moderatè movetur, si humores tantùm agitentur, & fiant fluxiliores: non autem provocentur sudores: neq; defatigentur vires. Opportunè movetur, inquit Avicenna l. 1. can. fen. 4. doctr. 5. c. 5. si non statim ab hausto medicamine moveatur: (sic namq; concitari posset vomitus: & actuatio quodammo-*

do impediri) sed cùm jam turbatio aliqua in ventre percipitur: quæ tamen in aliis citiùs, in aliis tardiùs fieri consuevit: prout scil. medicamentum debile aut forte: & corpus facile aut difficile ad purgationem fuerit. *Interea*, quæ assumuntur, *sunt juscula abstergentia, quæ tribus quatuorve horis post sumptum purgans sorbenda. Talia sunt decoctum cicerum rubrorum, decoctum hordei, jus pulli cum saccharo rubro, quod Tomæum vocant, vel pauco melle, quod magis abstergit. In* anum *autem* intruduntur *glandes, sive suppositoria, tùm communia atq; simplicia, quæ ex melle cocto atq; concreto parantur: tùm composita, quæ melli admixtos habent aliarum medicinarum pulveres: v. g. spec. hier. picr. Gal. Diagrid. Troch. alhandal, salis gemmæ, hellebori &c.* In eum *verò* infunduntur *clysteres, qui ex abstergentibus, stimulantibus, & ad inferiorem locum provocãtibus sunt pharmacis confecti:* de*cocto scil. hordei, origan. hyssop. calaminth. mercurial. betæ, marrub. rut. cent. minor. absinth. agrimon. beton. veron. &c. Cui addi possunt mel ros. simpl. aut solutivum: bened. laxat. hiera picra Gal. Diacathol. sal vulgare, aut hujus loco, saccharum rubrum, pro periti Medici judicio.*

VII.

Num purgans eâdem die repetendum? *Reperiuntur Medici, qui cùm hausta medicina parum, vel nihil purgavit matutinis & pomeridianis horis, eam vespertinis repetere soleant. Quæritur ergò, an hoc ipsorum factum probandum? Respondemus, in* προφυλάξει, *cùm præcautionis solùm gratiâ purgatio instituta, corpus autem nullo detinetur morbo, purgantis iterationem eâdem die necessariam non esse, etiamsi prius parum, aut nihil evacuârit. Defectus enim purgationis commodè die alia compensari potest. Et sat citò purgatur, si sat benè purgatur. Neq; ulla necessitas cogit, purgantibus medicinis, quæ ventriculo infestæ, ventriculum bis in die affligere. Est enim in* προφυλάξει *tempus purgationis non coactum, sed liberum, & in nostra potestate situm. Huc accedit, quod*

si

si purgans vesperi repetatur, nocturna quies ob illius actionem interturbetur. Adde quod fieri possit, ut enormis effrænataq; vacuatio sequatur: si scil. purgans, quod manè sumptum, ex genere sit validiorum. Aliquando enim vis illius cunctatur: sed novo addito stimulo sese exerit, & duplicatur. Id quod nonnunquam cũ periculo purgatorum se observâsse Falloppius scribit. Unde Avicenna l. 1. can. fen. 4. doctr. 5. c. 5. ait, rem esse solliciti timoris plenam, & rectæ quoq; rationi adversam, unâ eademq; die duabus solutivis medicaminibus uti. In θεραπείᾳ *verò distinctionem adhibemus duplicem: unam morborum: alteram purgantium. Nam si purgandi necessitas vehementer urget, quemadmodum v. g. in acutis, in quibus materia turget, urgere Hippocrates aphor. 10. sect. 4. monet, repetitionem quidem cathartici eadem die admittimus, siquidem prius assumptum fine suo frustratum cognoverimus; verum non validi atq; fortis: sed mitioris benignioris q;, quod tamen morbifico humori accommodatum: aut etiam validi, sed tùm solũ, cùm prius vomitu totaliter est excussum. Tunc enim vel idem, vel simile paulò post vomitionem offerri potest. Quod si verò morbus ex illorum fuerit albo, qui patiuntur inducias, purgantis iterationem in aliam diem differẽdam putamus, sive prius vomitu fuerit excretum: sive retentum quidem: at operatione privatum. Ratio patet ex prima decisionis problematis parte.*

VIII.

Recténe faciant, qui unâ eademque horâ solidum & liquidum propinant purgatorium? *Observatum fuit, practicos quosdam unâ eademq; horâ & pilulas, & haustum infusionis noduli purgantis obtulisse: vel ut pilulæ dissolverentur in ventriculo: vel ut haberent vehiculũ, cujus ope deferrẽtur ad partes distantiores: vel ut citiùs, validiùs ve operarentur. Verũ frustrà fit per plura, quod cõmodè fieri potest per pauciora. Frustrà quoq; & pilulis, & potu uno eodẽq; tempore vẽtriculus oneratur. Sic enim o-*

neratus

neratus facilè quod ingestũ per superiora eijcit: præsertim in ijs, quibus is est infirmus, & nauseabundus, & medicinas abominatur. Itaq; tutiùs & jucundiùs unum purgans una in forma uno eodemque tempore exhibetur. Neq; contrarium suadent rationes allatæ. Nam ad dissolutionem pilularum haustu liquoris nihil opus: cum calore & humore ventriculi fundi atq; liquari eas αὐτοψία monstret. Et si maximè eo opus esse contenderetur, sequeretur tamen, aut pilulas sine eo vim purgãdi habere nullam: quod falsum esse experientia docet: aut pilulis semper liquorem catharticum superbibendum esse: quod ab ipsis tamen affirmantis sententiæ defensoribus minimè præcipitur. Ratio secunda itidem nulla est. Nam si potio vehiculum esset pilularum, nunquam sanè sine ea pilulas deglutire liceret: maximè cùm partes distantissimæ, caput, nervi, & articuli, forent purgandæ: cum tamen earum purgandarum causâ pilulis solis frequentissimè utamur. Hùc accedit, quòd pilulæ nullius sint talis vehiculi indigæ. Vis quippe earum purgatrix, cùm à nativo ventriculi calore in actum sunt deducta, promptissimè ad evacuandos humores penetrat, ut experientia testatum facit. Tertia infirmior est, quàm ut in ajentis concessionem nos pertrahere possit, aut debeat. Pilulas tardiùs quidem purgare quàm potiones fatemur ipsi: idq; quia propter duritiem & & crassitiem substantiæ suæ seriùs actuantur. Sed tarditatem operationis felicitate & copiâ vacuationis compensare videmus. Itaq; sat citò, si sat benè. Quarta vim concludendi nullam habere videtur. Etenim pilulæ justâ in dosi præscriptæ, quæ scil. viribus corporis, & magnitudini cacochymiæ respondet, validè satis purgant, ut opus non sit, potionem, tanquam stimulum & calcar ijs addere.

IX.

An purgans à calore superatum vertatur in venenum?

Quæstio hæc non de benignis purgantibus, ut cassia, manna, myrobalanis, tamarindis, rosarum incarnatarum, pallidarumve succo &c. nec de mediocribus, ut rhabarbaro, agarico, senna, aloë, &c. move-

movetur. Hæc enim cum nil maligni & venenati in se habeant, à calore victa in venenum verti nequeunt. Sed de validis, & excellenti purgandi facultate præditis: qualia sunt scammonium, colocynthis, helleborus uterq;, turpethum, euphorbium, elaterium, ricini & lathyridis semina, species esulæ, tithymalli, & mezerei. Hæc ergò illa quibusdam videntur, quæ actione frustrata in venenatam substantiam mutantur. Pro cuius θέσεως defensione primùm authoritatem Galeni proferunt, qui ea cõment. 2. in lib. de vict. acut. t. 13. & comm. 6. in l. 6. epid. t. 5. δηλητήρια vocat. Imò lib. 3. simpl. c. 24. & libro quos &c. purgare oportet non procul à fine expressè scribit, quædam cathartica, ubi purgatione vel διὰ τὴν ἰδιότητα τῆς τοῦ κάμνοντος φύσεως, propter proprietatem naturæ ipsius ægri: vel propter doseως exiguitatem: vel propter exiccatas induratasq; fæces, quæ ante susceptam purgationem subduci debuerũt: vel propter naturæ inclinationem ad ductus urinæ, frustrantur, in φθαρτικόν τι καὶ δηλητήριον verti. Deinde rationem ab effectis: quia videmus, illa ejusmodi excitare symptomata, quæ venena aliâs excitare comperimus. Id quod omnium clarissimè videre licet in ὑπερκαθάρσεσι, h. e. nimijs purgationibus, quas superpurgationes appellant. In his enim homines pallent, frigidum sudant sudorem, animo deficiunt, in extremitatibus frigent, virium omnium prostrationem sentiunt: aliquando etiam singultiunt, & convelluntur, quæ duo symptomata Hippocrates aphor. 4. sect. 5 pro malis habet in ὑπερκαθάρσει indicijs. Quinimò post evacuatos humores alios tandem etiam sanguinem, succum naturæ familiarissimam, ejusmodi pharmaca educunt: testibus Hippocrate l. de Nat. hum. & Galeno. l. 3 simpl. c. 27. Quæ autem per venas intestinorum & ventris sanguinem deijciunt, venenis adnumerata fuisse Galenus lib. de purgant. med. facult. c. 4. memorat. Hinc ergò concludi videtur, cum venenata sint ipsa, & effectus edant similes ijs, quos edere venena consueverunt, etiam in venenosum humorem transformari in corpore posse. Verum hæc quidem sententia

falso

falso nititur principio. Præsupponit enim, cathartica validiora venenata esse: ex quo infert, etiam in succum venenatum abire. Nos autem ὑπόθεσιν *negamus: rationemq́ʒ ex comment. 6. in l. 6. epidem. t. 5. hanc adferimus: quia Medici ea solùm pharmaca vocare solent deleteria & venenata, quæ nullo unquam tempore neq́ʒ sanis, neq́ʒ ægris opem ferunt. Cum verò purgantium usus quibusdam temporibus necessarius sit & utilis, constat, ea venenata & deleteria nequaquam esse.* Sed audis, *inquiet quispiam, Galenum cathartica pro deleteriis habere. Respondemus ex Galeno, suimetipsius optimo interprete: & quidem ex lib. 5. simpl. c. 19. Ibi enim deleteria facit duplicia: quædam* τῷ γένει, ἢ ὅλαις ταῖς ὀσίαις, *genere, totâque essentiâ: quæ si vel in minima quantitate assumantur, lædũt: quædam* τῷ ποσῷ, *quantitate: quæ convenienti in quantitate hausta juvant: in largiore verò nocent. Purgantia ergò* τῷ γένει, καὶ τῇ ὀσίᾳ *deleteria non sunt: quemadmodum Galenus comm. 6. in l. 6. epidem. t. 5. probat. Deleteria autem appellari possunt* τῷ ποσῷ. *Immoderatiùs enim usurpata ea symptomata pariunt, quæ paulò antè commemorata: & quidem interventu vacuationis nimiæ. Quod verò in superpurgationibus tùm humores alios, tùm sanguinem educant, Galenus non alicui virulentiæ, sed tribus manifestis causis l. 3. simpl. cap. ult. tribuit. I. quia vasa ita debilitant, ut non ampliùs in se humores continere possint. II. quia orificia illorum recludunt.* III. *quia ea mordicant, h. e. stimulant, irritant, & ad excretionem jugiter sollicitant. Quanquam si propriè & accuratè loquendum, ne quidem* τῷ ποσῷ *deleteria vocari comm. 6. in 6. epid. t. 5. velit: quia sic quoque* ἀλεξιφάρμακα καὶ θηριακά, *quorum illa tamen deleteriorum & venenatorum medicamentorum medelæ sunt: hæc verò, quæ l. 5. simpl. c. 18. etiam* ἀλεξιθήρια *nominantur, virulentorum animalium ictibus atque morsibus resistunt, appellanda forent: eò quòd immoderatiùs hausta corpus è medio tollant. Hinc scribit Actuarius l. 3. meth. med. c. 7. cathartica* communiter *quidem* δηλητήρια *vocari: à* propriè *tamen dictis* δηλητηρίοις, *quæ magna sunt corrumpendi vi prædita, & aliàs, ut ex loco Galeni ultimo citato patet,* φθαρτικὰ, καὶ φθοροποιὰ *nuncupantur, dissidere: quòd eadem quantitate non perinde ac* δηλητήρια, *interimant.* Itaque *cum purgantia propriè loquendo* δηλητήρια *non sint, & venenata,* concludimus, *ea neq; in venenatum succum transformari, si fine suo frustrentur. Idque eò confidentiùs, quòd post eorum usum nulla symptomata vim veneficam redolentia in nobis experiamur.*

FINIS.

22

DISPUTATIO
DE
PURGATIONE
UNDECIMA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore Medico:

Respondente

JOANNE FRIDERICO REGULO,
agnom. Billinger/Ulmense.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



PROBLEMA I.

VTrum Asclepiadis sententia de purgantium medicamentorum actione veritati sit consentanea? *Purgantia pharmaca noxios evacuare humores, lippis atq; tonsoribus notum est. Hinc enim Latinis purgantia: & Græcis* καθαρτικὰ, ἀπὸ τοῦ καθαίρειν *dicũtur: nimirum ab actione, quam humano in corpore exercent. Verum* quo modo, quaque vi, & ratione purgent, *obscurissimum est, & in scholis Medicorum valdè controversum. Nos varias hac de quæstione expendemus sententias: postea quid nobis videatur significabimus. Omniũ autem primò Asclepiadis opinionem examini subjiciemus: quæ licet jam dudum sit antiquata, & à Galeno quoq; explosa: haud tamen inutile videtur, etiam quid veteres statuerint, tyronibus aperire. Nam quemadmodum ex collisione ferri & silicis ignis elicitur: sic ex collatione diversarum opinionum veritas elucescit. Quæ Asclepiadis fuerit sententia, Galenus l. 2. de Element. c. 3. & l. de purgant. med. fac. c. 1. & 2. ostendit. Arbitrabatur enim, cathartica certos quidem determinatosq; humores educere:* χολαγωγὰ *v. g. bilem:* φλεγμαγωγὰ *pituitam:* μελαναγωγὰ *bilem atram:* ὑδραγωγὰ *serum: sed eductos humores non fuisse in corpore tales, quales post purgationem conspiciuntur: verum alterius generis: à catharticis autem mutatos, & in naturam sibi similem conversos. E. c. bilem à* χολαγωγῷ *vacuatam ante vacuationem in corpore non fuisse bilem: sed humorem alterius speciei: ab assumpto autem* χολαγωγῷ *in bilem transformatam. Persuasum namq; Asclepiades habebat, cathartica quemcunq; humorem attingerent, in suam naturam convertere: sed illum sic conversum, & de novo generatum, naturam sti-*

mulare suaque stimulatione efficere, ut unà cum catharticis expellãtur. Itaque tria secundũ Asclepiadẽ in purgatione concurrebãt accidẽtia generatio humoris: stimulatio naturæ: & generati humoris assumptique pharmaci expulsio. Pro cujus sententiæ confirmatione Asclepiadæi hanc adferebant rationẽ: quia videmus, etiam optimè constituta, & à pravis humoribus liberrima corpora datâ catharticâ medicinâ purgari. Quo posito, sequitur, aut humores, qui in illis expurgantur, ante exhibitionem pharmaci jam præfuisse: aut à pharmaco fuisse generatos: biliosos quidem à χολαγωγῷ: pituitosos à φλεγμαγωγῷ: serosos ab ὑδραγωγῷ: melancholicos à μελαναγωγῷ. At non præfuerunt: quia corpora sana, pura, optimèque constituta ejusmodi humoribus carent. Quæ enim tales habent, talia corpora dici non possunt. Necessum igitur est, ut eos à catharticâ medicinâ genitos asseveremus: aut dicamus, educi posse humores, qui antea tamen in corpore nõ fuerunt: quod absurdum.
Verum contra Asclepiadis placitum Galenus lib. de purg. med. fac. insurgit acriter: idque ad hoc absurdum deducit, quod scil. cathartica non certos ac determinatos humores detrahant, uti quidem ipse Asclepiades profitebatur: sed æqualiter omnes: sicque venæ sectio & purgatio una eademque sint vacuatio: & hoc solùm inter se differant: quod venæ sectione humores tales, quales antea in corpore erant, educantur: purgatione autem & colore, & naturâ mutati Argumentatio Galeni est ista. Si purgatio, ut Asclepiades credidit, immutatio est illius humoris, cui purgans primò adhæret, sequitur, immutationem fieri vel omnium humorum: vel certi solùm ac determinati. At non determinati: quoniam Asclepiades dicebat, quemcunque humorem purgans attigerit, illum in suam naturam convertere. Ergò æqualiter omnium. Si hoc, sequitur, valido exhibito purgante, quod vires habet perdurantes, totique sanguineæ massæ, aut dimidiæ saltem illius parti adhæret, omnes humores in eius substantiam mutari, cum omnes in massa sanguinea existentes, & per consequens omnes æqualiter evacuari. Quare purgatio eadem erit cum venæ sectione.

Quo dato absurdo, sequitur aliud: nimirum ratione vitij humorũ, plethoræ scil. & cacochymiæ, nullum delectum instituendum esse: sed indiscriminatim nunc venam secari: nunc purgans propinari posse: eò quòd utroq; vacuationis genere juxta Asclepiadis quidem sententiam omnes humores detrahantur. Si quis delectus instituendus, eum ratione duntaxat hominum instituendum esse: quorum alij magis purgatione: alij contrà venæ sectione magis delectãtur. Idem Galenus *l. 2. de Elem. c. 3. hoc etiam in Asclepiadis sententia reprehendit, quod putârit, purgantia non juvare propterea, quòd molestantes humores expellant: sed tantùm quòd vacuãdi vim habeãt. Hoc si enim verũ esset, liceret sanè omnibus, sive gracilibus & macilentis, sive carnosis & corpulentis, quocunque morbo, dummodò vacuationem postularet, tenerentur venam secare. Venæ quippe sectio etiam vacuat: & quidem humores o-omnes. Itaq; non dubium, quin vacuationis ratione conducat. Verum experientia docuit, plurimos ex gracilioris constitutionis hominibus nõ parum utilitatis ex purgatione illius humoris, à quo infestabãtur, sensisse: quibus si sanguinem detraheres, protinus interitum inferres.* Quodsi purgantia *vacuationis tantùm causâ prodessent, nullus eorum delectus instituendus foret, sed quodvis quovis in affectu licitum esset præscribere: quia quodvis vacuandi facultate pollet. At consequens experientia damnat: quæ non quodvis cujvis humori: sed certum certo accommodatum esse testatur. Hinc idem Galenus ibidem scribit, si homini bilioso medicamentum* φλεγμαγωγὸν *exhibueris, minimè dubitabis, quin sis Asclepiadis decretum non sine detrimento experturus.* Hisce rationibus addimus alias. *I. quia in confesso est, omnia penè cathartica, paucissimis exceptis, calida & sicca esse. Experientia quoq; ostendit, quosdam brevi tempore post cathartici sumptionem purgari, & quidem satis copiosè. Deniq;* αὐτοψία *monstrat, non* corpus & substantiam *purgantium pharmacorum: sed tantùm* vim & facultatem, *cuidam halitui, sive spiritui insidentem, ad*

humores in vasis, locisq; distantioribus pertingere. Videmus enim aliquando, & pilulas, & bolos, & potionum aliquam partem etiã tùm eijci per superiora, cùm jam actus purgationis ferè est absolutus. At quis credet φλεγμαγωγὰ pituitam, ὑδραγωγὰ serum, μελαναγωγὰ bilem atram in naturam suam convertere, sibiq; assimilare, cum maxima inter hosce humores & purgantia qualitatum ratione sit discordantia: in habentibus autem σύμβολα facilis fieri mutatio soleat? Omnes enim isti humores frigidi sunt: serosi etiam & pituitosi humidi: contrà ὑδραγωγὰ, φλεγμαγωγὰ, καὶ μελαναγωγὰ pharmaca calida, uti dictum, atq; sicca. Quis substantialem transmutationem humorum in medicamenta tam brevi temporis intervallo fieri dicet, quàm brevi illa post sumptionem operari nõnunquam cernimus, tantâ præsertim inter transmutans & trãsmutatum dissimilitudine existente? Quis tantam vitiosorum humorum copiam, quantam sæpè expurgari observamus, non præfuisse in corpore, sed genitam à cathartico affirmabit, cum hoc nõnunquam in dosi admodum exigua præscribatur: & non mole sua, sive corpore: sed virtute solùm ad humores perveniat? II quia si pharmaca humores, quos educunt, generarent: purgatio non vacuatio: sed generatio esset: aut si vacuationis nomen retineret, quatenus quos generavit humores, eosdem pòst detrahit, morbificam tamen materiam nõ eximeret: ideòq; ea in corpore relicta morbum minimè profligaret. Ad rationem verò pro Asclepiadis tuẽda sententia allatam *respondemus, humores serosos, biliosos, pituitosos, & melancholicos, qui ex sanorum corporibus purgantur, ante catharticorum assumptionem in ijs extitisse: & ab ipsis catharticis nequaquam fuisse genitos. Falsum enim, & autopsiæ contrarium, eos in sanis locum non habere. Reperiuntur enim in omnibus: in alijs quidem in copia majori: in aliis verò in minori: nimirum pro temperamenti, victus, & anni temporum ratione: sic docente Hippocrate l. 2. de Nat. hum.*

An

II.

An Erasistrati de purgantium operatione admitti possit opinio? *Volebat Erasistratus, uti ex lib. Galeni de purgant. med. fac. c. 2. & 3. colligitur, purgans pharmacum, siquidem validum sit, atq; robustum, omnes humores vacuare: primùm quidem tenues: deindè crassiores: ultimò crassissimos: idq; vacui ratione fieri dicebat: ne illud in corpore detur. At si debile sit, atq; infirmū, non omnes: sed tantùm tenuiores: ita ut inter venæ sectionem & purgationem fortem hoc sit discriminis, quòd in illa omnes humores simul & semel egrediantur: in hac verò ordine & consequutione quadam: primùm serosi: deindè biliosi: tertiò pituitosi: quartò sanguis: ultimò melancholia evacuetur.* Verum hanc sentētiam *à vero esse alienissimam multis probari rationibus potest. I. quia si unum purgans validum omnes humores evacuaret, nullus in purgantibus instituendus esset delectus. At nisi is instituatur, & ictericis* χολαγωγὰ, *hydropicis* ὑδραγωγὰ, *melancholicis* μελαναγωγὰ, *alÿs, qui affectibus ex phlegmate genitis laborant,* φλεγμαγωγὰ *exhibeantur, nunquam pristinæ sanitati restituuntur. Non enim purgantur, qualia purgari decet. Quare nec* εὐφόρως φέρουσι. *II. quia idem præstari posset purgatione, quod venæ sectione: & contrà. Ratio est: quia utroq; vacuationis genere omnes humores educuntur. Posset ergò utiliter cacochymicis corporibus ad extirpandam* κακοχυμίαν *venæ sectio præscribi: contrà plethoricis ad demendam plenitudinem purgatio: quorum utrumq; absurdum esse ex disputationibus præcedentibus constat. Ostensum enim, aliud humorum vitium esse* κακοχυμίαν: *aliud* πλήθωραν: *ac proinde aliud illi: aliud huic vacuationis genus competere. III. quia si omnes humores per purgantia educerentur, eo tamē ordine, ut, qui tenuiores sunt, loco priore: qui crassiores, posteriore: qui crassissimi, postremo exeant, sequeretur, sanguinem, cum melancholico humore subtilior sit, priùs quàm melancholicum effluere. At falsum hoc esse* αὐτοψία *monstrat. Sanguis enim omnium*

postre-

postremus exire solet, nec nisi in ὑπερκαθάρσεσι. Eum quippe velati vitæ thesaurum natura sibi reservat. At vasorum retentrice virtute debilitata: orificiis eorum reclusis: & naturâ vehementius à medicamento irritatâ, tandem & sanguis excidere solet: teste Galeno l. 3 simpl. c. 28. IV. quia forte pharmacum aut non exturbaret humores omnes: quod tamen est contra Erasistratum: aut si exturbaret, purgatus periret: quod experientia redarguit. Ratio consequutionis est: quoniam dato forti cathartico, primùm juxta Erasistratum exhauritur serum: dein bilis: tùm pituita: quartò sanguis: ultimò melancholia. Posito ergò, quòd melancholiam, tanquam humorem crassissimum, vacuet postremò, sequitur necessariò, jam evacuatum esse sanguinem, tanquam humorem tenuiorem: quo vacuato, vita superstes esse nequit. V. quia contra αὐτοψίαν est, quòd perpetuò serum omnium educatur primum. Educi enim primum modò hunc, modò illum humorẽ videmus, nimirum pro natura medicamenti: quemadmodum Galenus l. de purg. med. fac. c. 3. exemplo hellebori docet.

III.

Veráne illorum sit opinio, qui purgantia medicamenta attrahendo evacuare humores asseverant, & quidem virtute caloris? *Tractricem quidem facultatem catharticis etiam Hippocrates, Galenus, & illorũ asseclæ tribuunt: sed nos eã à calore proficisci negamus. Nam si solius caloris causâ humores attraherẽt, sequeretur I. Omnia purgãtia calida esse: quod falsũ esse rosæ, violæ, myobalani, & qui ex rosis, violisq; parãtur syrupi, probãt. II. Omnia calida purgare. Positâ enim causâ purgationis, ipsa sanè purgatio negari non potest. II. quodvis catharticũ quoslibet humores sine discrimine expurgare. Nulla enim diversitatis ratio dari posset, cur hoc potiùs, quàm illos humores educeret. Aut si certos ac determinatos evacuaret, causa aliqua istius effectus subesset: atq; sic solus calor τῆς καθάρσεως causa minimè existeret.*

Utrum

IV.

Utrum Jouberti probandum placitum, qui parad. 9 decad. 2. docet, purgantia humores è corporibus nostris minimè attrahere: sed potiùs fugare & expellere, atque ἀντιπαθείᾳ veriùs quàm συμπαθείᾳ opus suum perficere? *Placitum sanè istud multas difficultates patitur.* Prima est: *quia inter quæ naturalis est ἀντιπάθεια, eorum alterum ad alterum sese minimè promovet: sed alterum fugat alterum; ita ut ubi fugans est, fugatum esse nequeat. At sumpto vomitorio, aut deglutitis catapotijs, haustâve potione catharticâ, vitiosi humores sese ad locum purgantium, ventriculum scil. atq; intestina promovent, & quidem, si valida sint, à distantissimis regionibus. Itaq; nulla videtur inter purgantia & humores esse ἀντιπάθεια: ex quo consequitur, neq; purgantia humores fugare.* Secunda: *si cathartica ἀντιπαθείᾳ quadam humores fugant, cum inter fugans & fugatum naturale sit odium atq; dissidium, alterumq; alterum fugiat, neq; superiores, neq; inferiores partes purgari poterunt per alvum: sicque nulla per purgantia ad alvum revulsio, humorumve retractio fiet. Ratio ex argumento præcedente patet. Consequens est falsum, & experientiæ contrarium. Quare & antecedens absonum sit necesse est.* Tertia: *quia purgantia ἀντιπάθειαν habent vel cum omnibus, vel cum aliquibus duntaxat humoribus. Si cum omnibus, unum sufficiet, frustraq; ab universa Medicorum schola instituitur aliquis eorum delectus. Quod enim commodè per unum præstari potest, temerè efficitur per plura. Huc accedit, quòd omnes exacuarentur humores: cujus tamen vanitatem αὐτοψία prodit. Si cum aliquibus tantùm, nulla fieret ὑπερκάθαρσις. In hac enim omnis generis humores exeunt, etiam sanguis: quemadmodum Hippocrates lib. de Nat. hum. notat.* Quarta: *quia quæ medicamenta ἀντιπαθείᾳ quadam singulari humores persequuntur, eosq; è corpore expellunt, in genere alexipharmacorum, seu antidotorum habentur. At quis purgantia antidota dicet? Omnium enim*

S natu-

natura, inquit Galenus comment 2. in lib. de vict. acut. t. 13. corporum, quæ purgantur, naturis contraria est, atque, ut quispiam dixerit, lethalis & deleteria. Quinta: *quia stante ἀντιπαθείᾳ, qua purgantia fugare humores statuantur, haud videmus, quando humores à distantioribus partibus, capite, nervis, articulis &c. ad ventriculum & intestina trudantur.* Dices, *non medicamenta id principaliter efficere, sed partium virtutem expultricem à medicamento stimulatam. Sed hac responsione duabus objectionibus aperitur fenestra. I. nullum purgans per se, sed tantùm per accidens purgare. Dictum enim, purgantia tantùm naturam stimulare, & irritare: naturam verò, seu, quod idem, expultricem facultatem provocatam superfluas humiditates excernere. II. purgantia non ἀντιπαθείᾳ humores fugare, quia naturam solùm sollicitando, & ad expellendum quasi invitando eosdem evacuant. At quæ ἀντιπαθείᾳ fugant aliquid, non interventu alterius, & per accidens: sed per se, propriisque viribus id faciunt: nimirum quia illi naturâ inimica sunt & adversa.*

V.

Numquid Thomæ Erasti sequenda opinio, qui lib. de occult. med. proprietatibus docet, purgantia non trahendo, sed pellendo vacuare: nimirum quia naturæ molestiam creant, eamque pungunt, mordicant, irritant, & ad excernendum sollicitant? *Non multùm absimilis Erasti opinio est Jouberti: nisi quòd nullam inter cathartica & humores ἀντιπάθειαν, ut Joubertus, statuat. Ei quoque affinis est* Jacobi Schegkij, *qui itidem causam purgationis non ἕλξιν, tractum: sed ὦσιν, pulsum esse dicit. Fieri autē ὦσιν à facultate expultrice per fibras transversas, lacessitam partim ab acrimonia humorum, partim à violentia pharmaci, qualitate irritante atque molestante vasa. Probat Erastus placitum suum variis argumentis. I. quia naturales & quotidianæ fæcum excretiones fiunt, intestinorum expultrice à bile irritatâ. II. quia vacuationes spontaneæ, quas in diarrhæa,*

rhœa, dysenteria, & aliis fluxibus alvi cernimus, excitantur, natura à vitiosis humoribus molestatâ, & ad eijciendum impulsâ. III. quia sternutationem, tussim, singultum, & vomitum itidem à vaporibus, & humoribus, aliisq; rebus, cerebri, pulmonũ, & ventriculi expultricem stimulantibus fieri observamus. IV. quia in quadam stranguriæ specie propterea crebrò admodum mingitur, quoniam lotium acrimoniâ suâ vesicam pungit & vellicat. V. quia semen acrius atq; calidius animalia ita ad sui excretionem, quæ coitu fit, instigat, ut stare loco nesciant. Et turgens quæ dicitur materia in acutis acrimoniâ suâ facit, ut ex uno loco in alium pellatur. Symptomaticæ quoque purgationes, quæ in principiis morborum fiunt, propterea fiunt, quia humores vel quantitate, vel qualitate naturam incitant, ut eos extra corpus intempestivè, nulloque cum fructu eijcere cogatur. VI. quia purgantia sumptis narcoticis actione sua frustrantur, non aliam ob causam, quàm quòd sensu stupefacto mordicatio eorum minimè percipiatur. VII. quia ὑπερκάθαρσις non tantùm propter debilitationem vasorum, & reclusionem orificiorum: sed etiam propter mordicationem accidit, teste Galeno lib. 3. simpl. c. ult. quâ purgans naturam ita exagitat, ut tandem etiam sanguinem, humorem sibi familiarissimũ, effluere sinat. Itaq; veritati consonum, eodem modo etiam purgationem simplicem fieri. VIII. quia cathartica adeò nobis sunt infesta, si non qualitate acri, saltẽ aliâ ratione inimica, ut sumpta, etiam nobis omnibus modis & negociis contrapugnantibus, ventriculum ad sui, humorumq; in eo contentorum evomitionem lacessant. IX. quia visi, qui ad mentionem solùm, & cogitationem: aliquando verò ad conspectum purgantium nauseârint, vomuerint, perq; aluum dejecerint. Cujus rei nulla alia dari ratio potest, quàm quòd phantasia à specie naturæ hostili qualitate inimica cõmota expultricem facultatem ad evacuationem proritârit. Hoc si potest species purgantium visa, audita, animoq; versata; quantò magis id poterit substantia eorum haustâ? X. quia nonnulli tetro

solùm catharticorum odore purgati sunt. Vnde poma purgatoria, ut poma ambræ, iis à Medicis præscripta. Fuerunt etiam, quibus, cathartica in manibus duntaxat a gestat aluum subduxerunt: quemadmodum historias aliquot Erastus partim l. de occult. med. propriet. c. 60. partim in explicat. 2. quæstionis de purgantiū facult. recenset. Quam ob causam? Nimirum quia odor & halitus purgantium naturæ abominabilis erat. Quo factum, ut expultrix fuerit excitata, & ad expulsionem eorum, quæ eductioni erant idonea, proritata. XI. quia idem quoque Galenus sentire videtur. Nam l. 3. simpl. c. ult. expressè dicit, purgantia naturam irritare, & ad excretionem stimulare. Et lib. de dignot. & curat. affect. ren. c. 4. circa initium inquit, ex Medico quidē purgans pharmacū: ex naturâ verò totum negotium pendet. Hæc enim à purgante medicamento excitata facultatem expultricem advocat, qua inutilia ab utilibus segreget; ac utilia quidē retentrix virtus retinet: inutilia verò expultrix eijcit. Atque his quidem argumentis *tantùm effecit Erastus, ut multos præclaros Medicos in suam pertraxerit sententiam. Verùm nil videntur concludere aliud, quàm quòd purgatio ex parte fiat ὤσει: quòdq; cathartica vim habeant stimulandi naturam, seu facultatem expultricem, quæ irritata noxios humores postea exturbet: quod nos libenter concedimus. Cum enim etiā ex Galeni sententia comm. 1. aphor. 22. purgatio fiat expellente naturâ; nil autem expellere soleat, nisi vel à quantitate, vel à qualitate rei alienæ molestetur, teste eod. l. de cur. rat. per S M. c. 8. perspicuum est, eam à purgantibus medicamentis vexari, & ad vitiosorum humorum excretionem quasi accendi: siquidem priùs, humorib. illis jam præsentibus, quieverit. Sed totū purgationis actum* solâ irritatione *& ὤσει compleri, inficiamur. Nam si hanc solam ob causam purgarent cathartica, quòd naturā irritent & stimulent; utiq; omnia, quæ irritandi stimulandiq; vim haberent, in purgantium albo continerentur: quod tamen vanum & falsum esse, cepæ, allia, porrum, raphanus, nasturtium,*

eru-

eruca, piper, acetum, & similia, quæ acria sunt atq; mordacia, satis superq; probant. Acrimonia enim sua pungunt & vellicant naturam: neq; tamen verè purgant. Hùc accedit, quòd non omnia *cathartica sint acria. Omnis enim ferè saporis expers est mechoaca. Et agaricus nihil acrimoniæ sapit: ut interim mannam, cassiam fistularem, myrobolanos, tamarindos, rosas, rhabarbarum, & alia silentio involuamus.* Obijcies *ex Erasto, non opus esse semper acri mordacique qualitate manifestâ ad stimulandum: sufficere illam occultam, quæ naturæ inimica. Respondemus, ne istam quidem occultam omnibus inesse. Tantùm enim abest, ut rosæ & violæ naturæ inimicæ sint, ut etiam inter* καρδιακὰ *principem ferè locum teneant. Quædam alia, manna v. g. cassia, tamarindi, myrobalani &c. adeò familiaria naturæ sunt, ut sua actione frustrata. & à natura victa, nutrimentum corpori præbeant: teste Galeno lib. 3. simpl. c. 24.* Quod si sola irritatio *causa purgationis esset, nullus delectus catharticorũ instituendus foret: neq; ab alijs alij humores educerentur: sed quodlibet purgans, dummodò naturam ad expellendum lacesseret, quemlibet humorem evacuaret: quorum illud Erasto: hoc verò experientiæ & oculari inspectioni refragatur.*

VI.

An Aristoteles modum, quo purgantia pravos humores educunt, rectè describat? *Quæ sententia fuerit Philosophi, ex problem. 42. & 43. sect. 1. liquet. Docet enim, sumptum pharmacum (ita namq; vocat purgans) non posse propter nimiam caliditatem, vel frigiditatem à calore corporis nativo vinci, & concoqui: posse tamen attenuari, & liquari. Liquatum fundi per totum corpus: fusum eliquare humores, quos reperit in venis excrementitios: eosq; turbare, & agitare: hacq; agitatione factâ retrocedere easdẽ vias, per quas penetravit: & retrocedendo secũ trahere omnes excremẽtitios humores, quos eliquavit, agitavitq;: sicq; sanguinem in corpore relinquere purum, & ab excrementitijs hu-*

moribus liberatum. His verbis describit Philosophus modum, quo purgantia actionem suam exercent. In quibus quid probemus, quidque desideremus paucis explanabimus. Probamus primùm, quòd cathartica à calore superari neget. Nam si superarentur, fine suo frustrarentur. Probamus secundò, quòd ea non quidem superari: attamen attenuari & liquari, h.e. in actum deduci à calore asseveret. Probamus tertiò, quòd illa diffundi in corpus perhibeat: non quidem secundum totum: sed fortassis secundum partes solùm tenuiores, quas Empedocles ἀπορῥοίας, defluxus nuncupat: nos autem vapores & halitus, purgatrice virtute impraegnatos, appellare possumus. Probamus quartò, quòd purgationem esse vacuationem illius dicat, quod impurum sanguinem reddit, quo excreto sanguis purus relinquatur. Damnamus autem primò, quòd cathartica quaedam propter frigiditatis excessum insuperabilia calori arbitretur: cum omnia tamen validius purgantia, de quibus illi sermo, calida sint. Damnamus secundò, quòd unum catharticum omnes excrementitios humores, quos in vasis offendit, expurgare statuat. Sic enim idem ferè cum Erasistrato sentit: nisi quòd iste omnes in universum humores, tàm bonos, quàm malos, ipsum quoque sanguinem expurgari crediderit. Aristoteles autem noxios duntaxat, manente sanguine, educi velit. Damnamus tertiò, quòd purgantia evacuare autumet agitando turbandoque. Sic enim & alia, quae humores turbant, & agitant, purgarent: nullaque diversitatis ratio dari posset, cur ista agitatione ad intestina potiùs, quàm ad alias partes humores ducantur. Agitati quippe ad omnes partes inclinare solent: uti videre licet in materia turgente, quae hinc inde in corpore vagatur.

VII.

Quid de Hippocratis & Galeni sententia statuendum?

Hippocrates lib. de Nat. hum. scribit, purgans pharmacũ certos ac determinatos humores evacuare: non omnes in universum, bonos pariter & malos, uti volebat Erasistratus: nec omnes excremen-

ti-

titios, ſicut placebat Ariſtoteli: nec etiam, quos educit generare, quod Aſclepiadis erat decretum. Modum verò, quo purgant, ibidem etiam exprimit, & ἕλξιν, tractum eſſe aſſerit: hujuſque tractionis cauſam inſuper addit, nimirum familiaritatem ſubſtantiæ. Pharmacum, ait, ubi corpus intraverit, primùm quidem ducit id, quod ex omnibus in corpore exiſtentibus ſ[illegible] maximè ſecundùm naturam familiare eſt: deinde verò etiam alia trahit ac purgat. Sententiam poſtea ſuam ſimilitudine quadam declarat. Nam quemadmodum ſtirpes, terræ viſcerib. infixæ, id, quod naturæ ſuæ familiare in terra exiſtit, trahunt: deinde etiam alia: ſic quæcunque v. g. bilem ducunt, primùm meraciſſimam bilem purgant: poſtea verò mixtam: & rurſus φλεγμαγωγὰ quæ ſunt, primùm pituitam meram, poſtea mixtam eliciunt. Hoc Hippocratis placitum tanti Galenus, Græcique juniores, Oribaſius, Paulus, Aëtius, Trallianus, Actuarius, imò & Arabes, Avicenna, Rhaſes, Averroes &c. fecerunt, ut ſequendum ſibi per omnia duxerint. Galenus tamen *comm. 1. aphor. 22. præter* ἕλξιν *etiam* ὦσιν *addit: perſuaſumq́; habet fieri purgationem non tantùm attrahente pharmaco: ſed etiam expellente naturâ. Quam ſententiam veritati conſentaneam arbitramur. Nam quòd natura expellat, inde conſtat, quia duo in actu purgationis occurrunt, quæ aliena ſunt: purgans ſcil. pharmacũ, quod illi ingeſtum, quodq́; illam ad expellendum irritat, uti Eraſti argumentis planum factũ: & humores corrupti, qui itidem naturæ tùm quantitate, tùm qualitate ſuâ graves. Quod verò purgans humores attrahat, exinde liquet: quia non quodvis quemlibet: ſed certum ac determinatum humorem purgat: qui ſanè effectus non ſoli irritationi: ſed etiam cuidam attractioni, ab occulta medicamenti qualitate proficiſcenti, acceptus ferendus: quemadmodum ex problemate 5 patet.* Modus ergò, quo fit purgatio eſt iſte. *Aſſumptum pharmacum à calore ventriculi in actum deducitur: ejusq́; vapores & ſpiritus in corpus reliquum diſperguntur: qui cum purgatrice ſint facultate*

præ-

præditi, humores sibi familiares ad se alliciunt, atq; à sanguineâ massâ, reliquisq; humoribus separant. Quod dum fit, natura insurgit: & quia tùm à pharmaco, tùm etiam à noxys humoribus stimulatur, expultricis virtutis ope utrumq; stimulum, medicamentum scil. atq; humores corruptos, tandem exturbat.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

An Cantus & Musica aliquid ad curationem morborum faciant? A.

II.

An diætetica medicina pharmaceuticâ & chirurgicâ præstantior? Ita placet Damasceno aphor. ultimo.

III.

Verumnè illud ejusdem Damasceni aphor. 115. si solâ victus ratione, citra pharmacum, mederi datur, nihil neque prius, neque rectius esse? A.

IV.

Num rationabile, quod idem aphor. 143. scribit: corpora humida parum comedunt: plurimùm egerunt: & difficulter curantur? A.

V.

An fidere experimento citra rationem fallax? Sic persuasum habet idem aphor. 98.

VI.

Nunquid veterem mutare consuetudinem noxium: velut idem aphor. 57. monet? A.

VII.

An Virtus & Natura morbos curent: utriusque autem minister Medicus sit? Ajentem cum Damasceno aphor. 23. tuemur.

VIII.

Sintnè calidæ ægritudines lethaliores frigidis? Affirmativa arridet Damasceno aphor. 27. cui suffragamur.

FINIS.

23

DISPUTATIO

DE

PURGATIONE

DUODECIMA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore
Medico:

Respondente

M. BENEDICTO MALLEOLO
Argentoratensi.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.

VIRIS

CLARISSIMIS, CONSULTISSIMIS, Experientissimis;

DN. PHILIPPO CHELYO J.U. Doctori; Serenissimo Principi ac Domino, Domino LUDOVICO, Electori ad Rhenum, piæ memoriæ, olim à Consilijs:

DN. JOHAN-RUDOLPHO SALTZMANNO, Medicinæ Doctori, ac Poliatro felicissimo, nec non inclytæ Argentinensium Academiæ Professori celeberrimo:

DN. PAULO FRIDERICI J.U. Doctori, & Senatus minoris apud Argentoratenses Advocato, & Procuratori integerrimo:

Dominis Mecœnatibus ac Præceptoribus parentum loco piè venerandis.

Hæc Celebres, Clariq́ Viri, Zitemata vobis
Devotè ardenti ductus amore dico:
Me vestro ut gratum præberem rite favori;
Cuius nunc quædam signa dedisse volo.
Vos, inopis mediocria non contemnite Musæ:
Sæpe etiam Divis vilia dona placent.
Vestraq́ me vestri nunc ambigat umbra favoris,
Pœonis ut tutus pocula docta bibam.
Vos longos Deus æternus conservet in annos,
Faxit & ut vobis prospera cuncta fient.

M. Benedictus Malleolus
Argentinensis.

PROBLEMA I.

AN Galenus per similitudinem, seu familiaritatem substantiæ, quæ ex sua & Hippocratis sententia purganti pharmaco cum humore educendo intercedit, ταυτότητα, identitatem intelligat? *Ultimo problemate præcedentis disputationis dictum fuit, statuere Hippocratem lib. de nat. hum. & Galenum l. 5. simpl. c. 17. purgantia medicamenta actionem suam perficere* trahendo. *Causam verò istius tractionis esse similitudinem, sive familiaritatem totius substantiæ. Meritò ergò quæritur, quidnam sibi per istam similitudinem velint: & an identitatem intelligant? Non enim defuerunt, qui ajentem defenderint: ac propterea similitudinem substantiæ causam tractionis illius esse negârint. Nam si esset, sequi dicebant, ferrum v. g. trahere ferrum: aurum aurum: quia nil similius ferro, quàm ferrum: & auro, quàm aurum ipsum. Placiti hujus authorem faciunt Arabum principem Avicennam, qui lib. 1. Can. Fen. 4. doctr. 5. c. 4. hac ratiocinatione usus legitur. Verum Galenus, & fidelissimus Hippocratis, & sui ipsius optimus interpres, hanc similitudinem longè explicat aliter, & identitatem esse negat. Sic namq; lib. 3. simpl. c. 25. scribit:* similitudinem *inesse substantiis diximus,* non identitatem. *Contrarium enim cernimus. Nam neque ferrum attrahit ferrum, neque caro carnem: sed magnes ferrum, caro sanguinem. Differunt enim, meâ quidem sententiâ,* idem & simile. *Quippe pituitæ pituita eadem est, & cnicus cnico: non tamen idem. Quid hac Galeni interpretatione clarius? quid manifestius? Vis ergò trahendi non in identitate, sed in similitudine substantiæ consistit: & simile quidē trahit simile; idem verò minimè trahit. Nulla enim dari probabilis ratio*

potest, cur inter illa, quæ eadem prorsus sunt, alterum trahentis, alterum autem tracti respectum habeat. Nam quæ eadem sunt, eandem etiam formam, & naturam, easdemque proprietates obtinent. Quare & eandem trahendi facultatem. Neutrum igitur tracti vices sustinet: nisi dicere placeat, in majori quanto majorem residere virtutem: ac propterea magnum, v.g. ferri frustum parvam trahere ferri portionem posse. Verum sciendum, vim tractricem non dirigi in id, quod est idem: sed in id, quòd simile & familiare. Inter trahens siquidem & tractum actio est atq; passio. Nihil autem in se ipsum agit: sed si agit, in aliud agere dicitur. Quæres, *cum inter purgans & humorem purgandum similitudo quædam substantiæ sit, non identitas, an utrumq; etiam ejusdem sit particeps virtutis? Respondemus negando. Affirmativa enim si vera esset, causa nulla adferri posset, cur humor perpetuò patientis & tracti: purgans autem agentis semper atq; trahentis rationem præ se ferret. Fieret enim, ut humor aliquando medicinam catharticam ad se traheret: præsertim si esset copiosus: quia, uti modò dictum, in majori quanto major virtus. Imò nulla prorsus fieret purgatio. Nam si utrumque eadem virtute præditũ esset, similia hac in parte forent. At similia in se non agere dicuntur. Conveniunt ergò purgans & purgandus humor ea ratione inter se, quâ magnes & ferrum: succinum & paleæ: stirps & succus terræ: pars nostri corporis & sanguis. Quemadmodum autẽ hæc corpora ejusdem facultatis non sunt: ita neque purgans pharmacum & humor purgandus, Sed purgans quidem vim trahendi habet: humor excrementitius ab eodem trahitur: non contrà. Nam specificæ virtutes specificam sequuntur naturæ differentiam.* Avicennam quod attinet, *certum est ex loco allegato, eum tractricem facultatem purgantib. tribuere. Quod verò similiudinẽ substantiæ causam illius facultatis negare videatur, sano modo accipiendum. Distinguunt n.* Costæus *&* Mongius *in fine annotationis octavæ super loc. cit. similitudinẽ substantiæ; eamq; in-*

intel-

telligi posse arbitrantur & de exacta, & de non exacta. Exacta convenientia est substantiæ: & identitas vocari potest. Non exacta *convenientia qualitatis. Cùm ergò Avicenna substantiæ similitudinem in catharticis negat, de exacta loquitur: quã Galenus quoq; l.3. simpl. c.25. explodit: quemadmodũ verbis illius suprà probatum. Non tamẽ negat similitudinem alterã, quæ non propriè substantiæ: sed veriùs & rectiùs qualitatis convenientia & familiaritas appellatur. Sic namq; hanc substantiæ similitudinẽ Galenus ipse lib.5. simpl. c.17. interpretatur. Ibi enim duo attrahentium medicamẽtorum genera statuit: unum eorum, quæ solo calore trahunt: eoq; aut nativo ac proprio, in prima scil. generatione implantato, quo v.c. dictamnus, propolis, thapsia, sagapenum, &c. aliena attrahunt: aut alieno, & adventitio, ex putrefactione scil. genito: quo fermentum, & animalium fimos trahere asseverat. Alterum illorum, quæ qualitatis familiaritate attrahunt: id quod nihil aliud esse dicit, quàm totiùs substantiæ similitudine. Et in horum albo ea, quæ nutriuntur, partes nimirum plantarum atque animalium: itemque purgantia pharmaca, & quædam alexiteria, sive amuleta, reponit.*

II.

An per similitudinem substantiæ illa sint intelligenda accidentia, quæ primas qualitates sequuntur? *Vallesius lib.9. controvers. c.2. docet, purgantia medicamenta non quoslibet, sed certos ac determinatos humores trahere: quædam pituitam: nonnulla bilem flavam: alia bilem atram: idque propter similitudinem substantiæ, quæ huic medicamento cum hoc humore magis intercedat, quàm cum alio. Et hanc sententiam rationi admodum consentaneam esse dicit: cum omnia pelli à contrarijs: trahi verò à similibus videamus. Hanc tamen substantiæ similitudinem adjuvantem tractricis causam habere scribit calorem: ita ut purgantia quidem humores trahant ratione caloris, quo sunt prædita: sed ratione similitudinis substantiæ certos ac determina-*

tos trahant. Esse enim calorem indefinitæ tractionis causam: & facere, ut cathartica in genere trahere possint: similitudinem verò substantiæ certæ & determinatæ tractionis principium, & in causa esse, ut hos, vel illos humores in specie alliciant. Verum *rogatur hîc, in quánam re ista substantiæ similitudo consistat? Respondet Vallesius, non in qualitatibus primis, calore, frigore, humore, & siccitate. Rationem damus triplicem. I. quia omnia, quæ calida, frigida, humida, aut sicca essent, purgarent. II. quia calida & sicca quæ sunt, uti pleraque sunt cathartica, neque serum, neque pituitam, neque melancholiam evacuarent: cum nullam haberent similitudinem substantiæ. Isti enim humores omnes frigidi sunt: & melancholiâ exceptâ actualiter & potentialiter humidi: III. quia Manna, Cassia fistularis, Tamarindi, Myrobalani citrinæ, Rosæ, Violæ, &c. bilem flavam non educerent. Quædam enim horum frigida sunt: ut Tamarindi, Myrobalani, Rosæ, Violæ: quædam humida: ut Manna, Cassia, Violæ: atque sic similitudine substantiæ carerent: si ea inprimis hisce qualitatibus posita esset.* Sed in illis accidentibus sitam *autumat, quæ substantiæ modū consequuntur, qui ex modo mixtionis nascitur: ut sunt color, crassities, tenuitas, raritas, densitas, & aliæ qualitates, quæ magis ex parte materiæ videntur.* Verum *sententia Vallesij graves patitur instantias. I. quia color nihil facit ad expurgationem humorum. II. quia rosæ, quæ incarnatæ, violæ, quæ purpureæ, cassia, quæ nigra, scammonij radix, quæ interiùs candida, ratione quidē coloris nullam haberent cum bile flavâ similitudinem: neque illam exturbarent. Dictum enim jam aliquoties, similitudinē tractionis causam esse: tractionem verò purgationis. Eadem ratio valeret etiam contra lapidem lazuli, folia senæ, radices polypodij, &c. quæ colore melancholico humori non sunt similia. III. quia si similitudo substantiæ in qualitatibus hisce secundis collocata esset: utique ea omnia, quæ qualitatib. correspōderent humorib. purgandi vim haberent. IV. quia χολαγωγὰ tenuis substantiæ esse oporteret,*

ut

ut esset aliqua similitudo substantiæ : φλεγμαγωγὰ & μελαναγωγὰ crassæ. Atqui videmus, inter χολαγωγὰ nō modo tenuis essentiæ esse simplicia, v. g. rosas, violas, mannam: verum etiam crassæ: ut rhabarbarum, myrobalanos citrinas, tamarindos. Et inter φλεγμαγωγὰ non solùm substantiæ crassæ, ut myrobalanos chebulas, emblicas, atq; belliricas : sed etiam tenuis : ut agaricum, euphorbium, colocynthida, &c. V. quia actionis purgatricis nobilitas satis testatur, eam alterius, & excellentioris principij sobolem esse: nō dictarum qualitatum, quæ multis alijs rebus sunt communes: & tota rei substantia dici nequeunt. VI. quia si similitudo substantiæ in qualitatibus hisce sita eßet, sequeretur, ijs mutatis, sicuti in medicamentis per multiplicem præparationem, & formarum externarum variationem, mutari solent frequentissimè, etiam vim purgantem mutari : quod falsum esse experientia docet : aut si non mutetur, argumentum est magnum, similitudinem illam, causam purgationis, in ijs neutiquam esse locatam. VII. quia si Vallesij *vera eßet opinio, exigua sanè inter medicamenta purgantia & humores similitudo observaretur: & consequutivè etiam exigua virtus purgandi plerisq; inesset catharticis.*

III.

An quod Galenus similitudini substantiæ tribuit, neoterici quidam rectè qualitatibus occultis acceptum ferant? *Rectissimè. Galenus enim lib. 5. simpl. c. 17. ait, purgantia attrahere humores totius substantiæ similitudine, hancq; similitudinem nil aliud esse perhibet, quàm familiaritatem qualitatis. At neque prima est, neque secunda manifesta: uti ostensum. Restat ergò, ut sit ex genere occultarum, quæ formam substantialem authorem agnoscunt. Esse enim hujusmodi qualitates, quæ ratione cognitionis nostræ, quòd causæ illarum sint incognitæ*, occultæ, abditæ cæcæ, *atque* obscuræ: *ratione subjecti, quia certæ alicui speciei propriæ sunt,* specificæ: *ratione effectorum, quoniā mirabiles stupendosq; edunt effectus,* mirificæ: *ratione principij effe-*

efficientis, à quo prodeunt, formales, & consubstantiales, *quòd substantiæ rei quasi connascantur, appellari solent, non solùm omnes, verè qui docti sunt, & in contemplatione naturalium rerũ exercitati, fatentur: verum etiã sublimitas multorum effectuum, quorum causa ad primas & secundas qualitates, aut ad dispositionem, temperaturamq; materiæ referri nequit: & obscuratio intellectus nostri, qui per lapsum protoplastorum quasi excæcatus est, planum faciunt: adeò ut Aristotelis judicio l.2. Metaphys. c.1. ita sese ad ea, quæ* τῇ φύσει φανερώτατα *sunt, habeat, quemadmodũ vespertilionum oculi ad lumen diei se habere solent.* Vallesius *l.9. controvers. c.1. eos, qui causam attractionis humorum in abditas qualitates rejiciunt, refutatione indignos judicat. Propalàm enim suam ignorantiam illos fateri scribit: quia ad occultam proprietatẽ confugere nil sit aliud, quàm dicere, eventum cognosci experimentò: sed causam, unde fiat, ignorari.* Verùm *satius nos esse arbitramur, occultas prætendere proprietates, cùm vera, aut probabilis saltem causa ex manifestis qualitatibus reddi nõ potest, quàm cum* Vallesio *falsas & fictas causas defendere, proq; veris & genuinis studiosæ juventuti venditare. Ad manifestas qualitates omnia deducere, inquit ingeniosissimus & subtilissimus* Scaliger *exercit. 218. s.8. summa impudentia est. Fidem vel venena solùm faciunt. Eorum namq; multa diversas habent ab elementorum qualitatibus proprietates: quæ omninò latent animos temperatos, illudunt curiosis. Iidemq; isti, qui sese putant cuncta ad certas causas reducere manifestas, tandem hùc se devoluunt, ut dicant, in oculis hominis & catoblepæ esse principia contraria. Et tamen irrident illi salutare Asylum illud occultæ proprietatis.*

IV.

Utrum unum & simplex pharmacum omnes educere possit humores? *De compositis catharticis, quæ ex* φλεγμαγωγοῖς, χολαγωγοῖς, μελαναγωγοῖς, καὶ ὑδραγωγοῖς *sunt conflata, nulli dubium, quin omnis generis humores evacuent. Hinc enim* καθολικὰ,

ὁλαγω-

ὀλαγωγά, καὶ παγχυμαγωγά appellantur. *Quæstio est de simplicibus.* Fernelius *videtur tueri affirmativam l.3.meth. med.c.5. Ait enim quodlibet pharmacum præter propriam etiam generalem vim purgandi habere, qua in alios quoq; humores incumbat, eosq; communiter evacuet. Eam duplici argumento probat. I. quia videmus, medicamentum, quod proprio humore frustratur, quemvis obvium & paratiorem adoriri atq; exturbare: eum scil. qui aut ad fluendũ est aptißimus: aut immodicè exuperat: aut in via purgationis subsistit. II. quia in hypercatharsibus observamus, non modò humorem peculiarem: sed & reliquos deinceps profluere. Violentius quippe medicamentum proprio humore detracto, in alios dein invadere: ac primùm tenuiorem, ad fluendumq; aptiorem prolicere: deinde eum, qui craßior atq; pigrior sit: postremò sanguinem, quem natura tanquam reconditum thesaurum avidiùs amplexetur ac retineat.* Falloppius *l. de simpl. purg. med. c.3. distinctè respondet. Inquit enim, omnia medicamenta in genere, & consequutivè etiam purgantia in specie, vel dissimilarium esse partium, req; vera composita: simplicia autem propterea appellata, quod cujusmodi sunt, talia sint naturâ, nec quicquam ex nostra industria aßumserint: teste Galeno lib.5. simpl. c.1. Vel similariũ, & unius ejusdemq; substantiæ. Quæ ergò purgantia duas pluresvè substantias in sua acceperunt generatione, sub una tamen eademque forma contentas, illa duos, pluresvè humores evacuare ait: Quæ verò unam solùm, unum quoque simplicemq; humorem educere.* Verùm Fernelij sententia *nobis est suspecta: I. quia l.3. meth. c.4. docet, actionem purgantium non à materia, neque à temperamento, sed à forma eorum proficisci. At si quodvis purgans præter propriam etiam generali virtute polleret, qua alios humores exigeret duæ formæ, generalis scil. & specialis in uno eodemq; subjecto, ponerentur. Generalis quidẽ, quæ purgaret humores alios: specialis v. quæ certum ac peculiarem. II. quia ipsemet Fernelius ibidem Hippocratis & Galeni sententiam approbat, quòd*

purgantia humores trahendo alliciant, & quidem totius substantiæ similitudine, insitaque familiaritate. Sed si generalis vis trahendi omnes humores cuivis purganti tribueretur, idem medicamentum omni humori substantiam similem haberet: quod falsum esse ipse Fernelius c.5. loci citati attestatur. Falloppij *verò distinctio minus arridet propterea, quia sive purgans similarium, sive dissimilarium sit partium, modò validum sit, plures excernere potest humores: uti experientia monstrat.* Statuendum ergò, *siquidem vim tractricem à forma prodeuntem defendere velimus; quodlibet purgans unum aliquem humorem per se, & principaliter evacuare: idq;, ut Hippocrates & Galenus loquuntur, familiaritate, sive similitudine substantiæ: h.e. qualitatis proficiscentis à forma, quæ præcipua est purgantis medicamenti, & cujusq; rei compositæ substantia. Reliquos verò humores exturbare secundariò: scilicet non trahendo: sed irritando stimulandoque naturam: cui vel manifestis, vel occultis, vel utrisq; qualitatibus est inimicum, infestum, & molestum. Nam problemate ultimo disput. præced. dictum fuit, purgationis actum non tantùm ἕλξει: verum etiam ὠσει perfici: ἕλξει quidē purgantis medicamenti: ὤσει verò naturæ. Hæc enim à duobus hostibus, purgante ipso, & vitiosis humoribus, qui expurgandi, vellicatur, pungitur, & ad excretionem sollicitatur.*

V.

An tractio, quam purgantibus Hippocrates, Galenus, & eorum asseclæ inesse dicunt, vera sit propriéque dicta tractio? *Notum est, duplicem apud Peripateticos esse tractum: univocum & æquivocum. Univocus est, quo id quod trahit, ab alio aut ad se, aut ad aliam rem movet: teste Aristotele l.7 phys. c.2. habetq; tres conditiones:* 1. *quòd trahens & tractum sint conjuncta, seseq; mutuò tangant. 2. quòd ambo moveantur. 3. quòd trahens celeriùs moveatur, quàm tractum. Æquivocus est, qui virtute tantùm trahentis perficitur. In eo n. trahens suo corpore & ex-*

& extremitate tractum non tangit: neq́; perinde, ut tractum movetur. Tractus *ergò, qui catharticis inesse perhibetur, æquivocus solùm est, non univocus. Non enim substantia eorum humores tangit: sed duntaxat vis atq́; facultas. Substantia quippe in ventriculo, aut intestinis persistit. Id quod* αὐτοψία *testatum facit. Nam soluta alvo, medicamentum plerumq́; in ventriculo hæret, aut vomitione rejicitur. Visum quoq́;, pilulas duriores, posteaquã abundè purgâssent, nondùm dissolutas aliâs vomitione, aliâs dejectione reddi. Largimur quidẽ, cathartica, dum ventriculi calore dissolvuntur, terunturq́;; h.e. deducuntur in actum, tenuiores quasdam sui portiones, aut vapores cathartica facultate imprægnatos, partim per manifestas, partim per cæcas abditasq́; vias ad noxios ablegare humores, qui eos attrahant: inficiamur autem, crassiorem illorum substantiam eò concedere ac permeare: sed manere in primis vijs, tractumq́; continuare arbitramur. Attractos autem humores unà cum medicina purgante à naturâ, sive expultrice facultate, per convenientia loca excludi. Eam enim gemino lacessitam stimulo utrumq́; excutere diximus: attractum humorem, & purgans pharmacum.*

VI.

Utrum medicamenta dentur αἱμαγωγὰ, quæ per se, innatâque virtute sanguinem evacuent? *Pro affirmante videntur militare authoritas gravissimorum Medicorum: experientia: & ratio.* Authoritas *quidem* Hippocratis, *qui lib. de nat. hum. scribit, in hypercatharsi primum exire eum humorem, qui dato medicamini maximè familiaris est: mox alios: tandem etiam sanguinem.* Galeni, *qui lib. 2. de dynamid. inter alia non tantùm agit de pituitam, bilem utramq́;, & serum, sed etiam de sanguinem purgantibus medicinis. Et lib. de purgant. med. facult. c. 4. expressè dicit, inveniri medicamentum, quod sanguinem à principio statim educere possit ex venis: idq́; historiâ probat mirabili, quam postea recensebimus.* Theophrasti, *qui l. 4. de hist.*

plant. stirpis cujusdam hæmagogæ meminisse dicitur. Marcelli Donati, *qui l. 1. de histor. med. mirab. c. 2. refert, Petrum de Osma Anno M. D. LXVIII. ad Doctorem Monardes ex Peru scripsisse, se in loco, Pasto dicto, Indum quendam vidisse, qui Indos & Hispanos quovis morbo laborantes, circa juncturas, dolentesq; partes succo herbæ cujusdam inunxerit, multisque linteis partes texerit, hacq; ratione purum sanguinem ex inunctis partib. sudore evocârit: quem postea absterserit: & hanc inunctionem toties repetierit, quoties opus esse putâsset. Hac curâ tantùm effecisse eum idem narrat Petrus de Osma, ut multos à maximis, penèq; incurabilibus morbis vindicârit. Sed addit, nullis sese neque pollicitationibus, neque minis adigere potuisse Indum Medicum, ut herbam illam, ex qua succum extraxisset, sibi notam redderet.* Experientia *verò hæmagogorum medicaminum existentiam probat propterea: quia videmus, aloëm sæpiùs ingestam hæmorrhoidum fluxũ provocare: cantharides foris applicitas, aut interiùs usurpatas, mictum cruentum excitare: artemisiam, pulegium, calamintham, sabinam, polium, radicem dictamni, & aristolochiæ &c. menstruum sanguinem movere: acriores turundas in nares immissas stillicidium sanguinis proritare: validiora cathartica, ut colocynthida, scammonium, euphorbium, esularum, mezereĩ, & tithymallorum genera, &c. sanguinem per alvum expurgare. Et Galenus l. d. purg. med. fac. c. 4. memorabile hæmagogi exemplum ponit. Apud Thraces Bithyniam incolentes cum viveret, & adhuc esset puer, audivisse se ait, quendam emendi porcini jecoris causâ urbem ingressum fuisse. Quod cum emisset, inq; suburbium rediisset; ventrem autem exonerare habuisset necesse, jecur deposuisse, & forte fortuna super herba aliqua locâsse. Verum egestis fæcibus, & reassumpto jecore, vidisse, sanguineos rivulos ex universo jecore ad herbam confluxisse: indeq; fecisse conjecturam, herbam illam hæmagogam esse. Quid accidit? Fecit veneficus in obvio quodam periculum: & postquam verum comperisset, quod fore sperabat, plu-*

rimos

rimos postea herbâ illâ trucidavit. Qui enim assumsissent, sanguinem excrevisse, deinde expirâsse Galenus scribit. Hoc cum Magistratus rescivisset, & ex venefico cognovisset, qua ratione in cognitionem herbæ venisset: audivissetque, non exiguam ejus copiam Bithyniæ in locis nasci, vinctis oculis ad supplicium duci reum jussit: ne cui herbam monstrare posset: sicque illius usum perijsse. Ratio denique *huic sententiæ favere videtur. Nam si sunt purgantia, quæ reliquos humores omnes, non modò naturales, sed etiam planè corruptos & putrefactos educunt: nulla videtur diversitatis adferri posse ratio, cur sola* αἱμάγωγα *desiderentur, quæ sanguinem, humorem naturalissimum, mitissimumque prolectent. Et si dantur* ἴσχαιμα, *quæ profluentem sanguinem cohibent, nō manifestis solùm qualitatibus, utpote emplasticâ, adstrictoriâ, repercussoriâ, & causticâ: verum etiam occultâ virtute & proprietate: quidni &* αἱμάγωγα *invenirentur: præsertim cum ita in rerum natura comparatum videamus, ut si unum contrariorum existat, etiam alterum reperiatur?* Pro negativa verò duæ adferri possunt rationes. *I. quia neque prisci, neque moderni Medicinæ proceres aliquid literarum monumentis de hæmagogis consecrârunt: cum tamen de cæteris purgantibus scripserint accuratissimè.* Nam quod ex Hippocratis lib. de Nat. hum. *adfertur, impertinens est, & ad ajentis probationem insufficiens. Validiora cathartica in hypercatharsi sanguinem vacuare concedimus. At non per se, propriaque & innatâ virtute eum vacuare dicimus: sed per accidens solùm: quatenus vasorum retentricem ita debilitant, ut quod in se continent, retinere nequeant: quatenus orificia illorum recludunt: quatenus denique mordaci sua acrique qualitate expultricem indesinenter ad vacuationem irritant atque stimulant: quemadmodum Galenus l. simpl. c. ult. explicat. Hîc autem de ejusmodi hæmagogis quæstio est, quæ per se, & ingenitâ facultate sanguinem, non in fine, uti fit in* ὑπερκαθάρσει; *sed in principio statim expurgare queant.* Neque liber ille secundus *de dyna-*

mid aliquid probat. Apocryphus enim est, & ejusmodi hæmagoga profert, de quibus hîc minimè rogatur. Succum enim porri capitati, mercurialis, leucoij, malvæ agrestis, & salviæ sanguinem educere docet. Historia *ex l. de purg. med. fac. c. 4. allata Falloppio videtur fabulosa, l. de simpl. purg. med. fac. c. 2. I. quia Galeno adhuc puero relata. Atqui anilia deliramenta pueris multa recenseri solent. II. quia hepar illud porcinum jam erat exanimatum, vitaliq; calore destitutum. Quomodo ergò herbæ hæmagogæ virtus in actum ab eo deduci potuit? Omnium enim pharmacorum vires à calore nostro actuari notorium est. III. quia impossibile, potuisse sanguinis rivulos ex hepate ad herbam confluere. Mactatū enim animal erat, in partes dissectum, omnique sanguine exhaustum.* Theophrastum *quod attinet, citant quidam l. 4. de hist. plant. c. 15. Verum ne gry quidem ibi de herba hæmagoga invenitur. De vita tantùm oleæ, ac vitium, deq; cultu vitium docetur.* Medicamenta, *quæ hæmorrhoides movent, cruentas urinas faciunt, menses ducunt, sanguinis stillicidium causantur, sanguinemq; per alvum evocant,* ἀπροσδιονύσως *allegantur. Non enim ex genere eorum sunt, de quibus jam quæritur: siquidem non facultate ingenitâ, primò, ac per se: sed vel exulcerando erodendoq;: vel aperiendo & detergendo: vel naturam immoderatiùs stimulando, retentricem debilitando, osculaq; vasorum reserando sanguinem proliciant. II. quia sanguis adeò charus, gratus, & familiaris naturæ est, ut illum retineat avidissimè: neq; unquam sinat egredi, nisi fortè admodùm enervata, aut vehementiùs ad vacuandum sollicitata. Unde in hypercatharsi eum postremum exire Hippocrates asseverat.* Nos, etsi nullum simplex compertum habeamus, *quod per se, insitâq; facultate sanguinem trahat, perq; alvum educat: haud tamen dicere audemus, nullum in rerum naturâ existere. Multa n. sunt, quæ nobis sunt incognita.*

Multa (inquit Lucretius) tegit sacro involucro Natura: neq; ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia.

VII.

An Rhabarbarum in substantia sumptum magis purget, quàm illius dilutum, sive, ut loquuntur, infusio? *Probabilis videtur affirmativa, non obstante, quòd crassa, terrena, & adstrictoria Rhabarbari substantia refragari videatur. Favet enim illi experientia, rerum magistra optima: quam in testimonium vocant practici magni nominis: inter quos Horatius Augenius minimè postremus, lib. 7. epist. & consultat. medic. epist. 3. Patrocinatur etiam ratio duplex. I. quia purgatricem Rhabarbari facultatem, quæ tenuiori illius parti insidet, adstrictoria juvat comprimendo. II. quia Rhabarbarum in substantia exhibitum diutiùs in ventre moratur. Est enim crassum, adstrictorium, & ad permeandum pigrum. Quo fit, ut etiam cathartica vis longiori temporis spatio ibidem hæreat, largiùsq; purget.*

VIII.

Rectène Rhabarbarum anima & theriaca hepatis appelletur? *Rectè ab effectu. Præstantissimum quippe remedium est in illius obstructionibus: quibus tùm officij, tùm structuræ ratione, & frequentissimis, & gravissimis, maximèq; periculosis est obnoxium. Neq; obstructiones solùm aperit hepatis: sed etiam biliosam illuviem clementer expurgat: quæ ictero, hydropi, scirrho, erisypelati, intemperiei, anorexiæ, siti, oris siccitati, febribus tertianis, cachexiæ, &, si ad intestina feratur, diarrhææ, ac dysenteriæ ansam occasionemq; præbet.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Rectène primæ quatuor qualitates in activas & passivas à Philosophis & Medicis dividantur? A.

II.

Sitné hypostasis urinæ primæ, secundæ, aut tertiæ,

quæ

quæ in vasis celebratur, concoctionis excrementum? Postremæ.

III.

An cantharides totæ & integræ: an verò tantùm illarum pedes & alæ usurpandæ? Totas cum Galeno usurpandas censemus, lib. 11. simpl. c. proprio.

IV.

Utrum cantharides propterea vesicam exulcerent, & ardorem urinæ, atque dysuriam causentur, quòd acres mordacesq; humores, qui in corpore collecti, ad vesicam ducant: quemadmodum Avicenna credidit l. 2. tract. 2. c. 206. N. Nam hoc quoq; faciunt corpore ab humoribus illis vacuo.

V.

Num id præstent, sponte sua ad vesicam penetrando, eamque ἀντιπαθείᾳ quadam naturali erodendo: veluti Galenus arbitratur l. 3. simpl. c. 23. an urinam quasi inflammando, valdeque calidam & acrem reddendo, ut quibusdam recentioribus placet? Utraque opinio defendi potest.

VI.

An Hipp. lib. de purg. med. cibos rectè φάρμακα, purgantia medicamenta appellet? Rectè suo modo.

VII.

Num febricitantibus, & maximè quartanarijs, quæcunque appetunt, concedenda? Vulgus quidem affirmat. Nos verò negamus.

VIII.

Verumné illud Damasceni aphor. 48. Medici illiterati, rerum imperiti, & adolescentes, ut plurimùm homicidæ? A.

F I N I S.

DISPUTATIO
DE
PURGATIONE
DECIMATERTIA
ET ULTIMA:

In inclyta Argentoratensium Academia ingenij exercendi gratiâ proposita:

PRÆSIDE

MELCHIORE SEBIZIO
Juniore: Doctore & Professore
Medico:

Respondente

JOACHIMO LANGENAUERO
Augustano.

ARGENTORATI

Typis JOANNIS REPPI,

ANNO MDCXXI.



VIRIS

Nobili generis splendore, prudentiâ, plurimoq; rerum usu præstantissimis,

DN. DAVIDI } Ulstatt/ fratribus ger-
DN. JOHANNI } manis:

Necnon

DN. OTTHONI Laugingcr/ Juniori,

Patricijs Augustanis,

Cognatis, Tutoribus, Fautoribus, & Promotoribus æternùm suspiciendis,

Has studiorum suorum primitias

Grati animi testandi causa

D. D. D.

Joachimus Langenauer.

PROBLEMA I.

AN Rhabarbarum ſit Rha, Rheum, ſive Rhaponticum Dioſcoridis lib.3.cap.2. deſcriptum? *Aientem defendunt* Ruellius *l.3. de nat. ſtirp. c.2.* Valerius Cordus *in annotat. ſuper l 3. Dioſcor.* Dodonæus *pemptad.3. l.2 c.32. ſtirp. &* Manardus : *quamvis hic videatur dubius. Nam lib.6. epiſt.2. ſcribit, quod vulgus Medicorum & officinæ omnes nunc Rhabarbarum vocant, & Arabes Rhavedſeni, hoc Celſum radicem ponticam: Dioſcoridem Rha: Plinium Rhacoma: Galenum Rheon, & interdum Rheon Ponticum appellare. Lib.5. epiſt.5. dicit, Rhaponticum & Rhabarbarum unius ejusdemq; ſpeciei eſſe: præſtare tamen Rhabarbarum, non ſolùm vi purgatoriâ: ſed etiam facultate penetrandi, quia profundiùs ſe adigit, majusq; robur poſt ſe in membris relinquit. Contrarium verò ſentire videtur in annotat. c.5. lib. de ſimpl. purg. Meſuæ. Rhacoma, inquit, de quo Plinius l.27. & Rha, vel Rheō, de quo Dioſcorides l.3. à vocato nūc rhabarbaro alia res eſt. Neq; Plin. & Dioſcorides Rhaved Meſuæ, quod noſtrū rhabarbarū eſt, cognoviſſe videntur.* Negantem tuentur Matthiolus *in Cōment. cap.2. l.3. Dioſcor.* Sylvius *in annot. cap.5. l. de ſimpl. purg. Meſuæ.* Coſtæus *in annotat. ejusdem loci:* Pena & Lobelus *in adverſariis:* Fuchſius *lib.1. de cōpoſ. med. c.84. Et id quidem rectiſſimè. Nam ſive locum natalem ſpectes: ſive magnitudinem intuearis: ſive odorem, colorē, & ſaporem perpendas: ſive ſubſtantiā ipſam examines: ſive deniq; vires contemplere, magnū ſanè diſcrimē inter rhaponticum Dioſcoridis & rhabarbarum noſtrū animadvertes. Etenim* patrium ſolùm *quod attinet, refert Dioſcorides l.3.c.2. provenire Rhaponticum in ijs, quæ ſuprà Boſphorum ſunt regio-*

nibus, ex quibus affertur. Plinius *ait, Rhacoma ex his, quæ suprà Pontum sunt, regionibus asportari. Et* Ammianus Marcellinus *scribit, stirpem hanc à Ponti flumine, quod Rha vocatur, cognominari: eò quod in illius superciliis nascatur. Unde & ῥᾶ, & ῥῆον, & ῥέον ποντικὸν, & ῥίζα ποντικὴ à Galeno, Actuario, & Paulo: à Celso v. l.5.c.23. in Mithridat. radix Pontica appellatur. Rhabarbarū autē nostrum nō, ut Rhaponticum, ex aquilonaribus; sed ex meridionalibus plagis ad nos venit: nimirum ex Barbaria; unde & Rha Barbarum, & Barbaricum, & Rheu Barbarum nuncupatur. Ubi notandum, tria illius genera à Mesue lib. de simpl. med. c.5. constitui: Indicum, quod Rhaued sceni nominat: omnium præstantissimum: Barbarum, generis nomine vocatum: quod bonitate ab Indico secundum: & Turcicum, quod ignobilissimum.* Magnitudo *Rhabarbari longè superat magnitudinem Rhapontici. Scribit enim Dioscorides radicem Rhapontici minorem esse radice Centaurij magni. At qui hac multò adhuc major crassiorq; est Rhabarbari. Dioscorides, Rhapontico suo nullum tribuit* Odorem. *Sed Rhabarbarum, præsertim cùm teritur, gravem vehementemq; odorem spirat: ita ut Manardus epist.3. lib.8. scribat, si alia re nulla, solo tamen odore Rhabarbarum officinarum à Rhapontico Dioscoridis discerni posse. Nam quod Ruellius & Cordus dicunt, utramq; stirpem unius ejusdemq; esse generis ac speciei, differre tantùm accidentib. & loco natali: & Rhaponticū quidē propter aquilonaris regionis, in qua crescit, frigiditatem, ἄοσμον esse: rhabarbarum autem propter meridionalis plagæ caliditatem, odorum, diverticulum est: I. quia licet secundùm Galenum comm.3. aph.14. Pontus & Thracia regiones sint frigidæ: tanta tamen cœli inclementia in ijs non est, quæ Rhaponticum carere odore faciat. Aliâs enim reliquæ etiam stirpes inibi provenientes inodoræ forent. II. quia Rhaponticum in calidis plantatum regionibus nullo insigni odore, ut Rhabarbarum, nares ferit. Neque veritati simile videtur, quod Dodonæus memoriæ prodidit, nempe sphalma in*

tex-

textum Dioſcoridis irrepſiſſe: & pro εὐόσμῳ ἄοσμον *poſitum eſſe. Nam & Plinius, & neoterici omnes, etiam illi, qui Rhaponticum idem cum Rhabarbaro ſtatuunt, illud inodorum eſſe fatentur. Quod verò idem ſubdit, experimento certo cognitum ſe habere, Rhaponticum odorem, & quidem haud inſuavem ſpirare. Radicem enim ſe à Iacobo Antonio Cortuſo accepiſſe, haud gravi odore ſuaveolentem. Reſpondemus, vel verum non fuiſſe Rhapontic ū: ſiquidem hoc omnes* ἄοσμον *dixerint: & quid propriè Rhaponticum Dioſcoridis fuerit, olim Medici noſtri ignorârint: vel radicem Centaurij magni, quæ pro Rhapontico venditabatur; ac propterea nomen quoque rhapontici ſibi adoptabat. Hæc enim, quia juxta Dioſcoridem lib.3.c.6. cum adſtrictione aliqua & dulcedine acris eſt, non omni odore caret. Vel fuiſſe quidem Rhaponticum legitimum; inſigni tamen odore minimè donatum. Id quod Dodonæus ipſe fateri videtur, cùm ſcribit, Ponticum Rha non eſſe omni odore deſtitutum. Itaq; meritò Dioſcorides rhaponticum* ἄοσμον *pronunciat: non quod omni prorſus odore careat ſed quod evidentē & manifeſtū non habeat. Eadē n.* ἀόσμου *quæ* ἀποίου *hac in parte eſt conditio.* Ἄποιον *n. h.e. inſipidū non id tantùm dicimus, quod omni planè privatū eſt ſapore: ſed etiā quod effatu digno ſapore nō eſt præditū: ſic docente Galeno l.2. de alim. fac. c.3.* Colorem quod ſpectat, *eſt Rhapontici radix juxta Dioſcoridem nigra, centaurio magno ſimilis: ſed minor & rufior: manducata colorem reddit pallidum, aut ad crocum inclinantem. At Rhabarbarum fractum ex rufo & glauco alternat; manſumq; vel aliquo ſolutum liquore, croci modo tingit: teſte Meſue loc. allegato. Plinius l.27.c.12. Rhacoma ſuū coſto nigro ſimile dicit. Verū Manardus l.6 epiſt.3. rheon nullā cum eo ſimilitudinem gerere ait.* Sapor Rhapontici *ſubacris eſt, & validè adſtringens: authore Galeno lib.8 ſimpl. c. de Rheo. Guſtatum etiam lenteſcit, inquit Dioſcor. l.3.c.2. Glutinoſum enim viſcidumque quippiam habet adjunctum. Rhabarbarum verò amarum eſt, aridum, nulliusq; lentoris particeps.* Subſtantia

 rha-

rhapontici fungosa est, rara, & aliquantum levis: judice Dioscoride ibid. Cui Galenus loc.cit. suffragatur: hujusq; laxitatis & levitatis causam esse dicit, quòd aërea quadam substantia subtili participet. Rhabarbarum autem compactum est, & grave, imò quantò gravius est, tantò putatur à Mesue melius. Viribus *quidem aliquibus inter se conveniunt: ut quod utrumq; partium sit dissimilarium, habeatq; partes tùm terrenas ac frigidas: tùm subtiles atq; aëreas: quòdq; utrumq; adstringat, aperiat, atq; siccet. Differunt verò quàm maximè in eo, quoniam Rhabarbarum Rhapontico calidius est: & purgatrice facultate pollet, qua destitutum esse Rhaponticum sequenti problemate planum faciemus.*

II.

An Rhaponticum catharticam in se facultatem habeat? *Vt discrimen inter rhabarbarum & rhaponticum elucescat magis, placet propositum discutere ζήτημα. De illo verò non idem omnes sentiunt.* Manardus *defendit affirmativam lib.5. epist.5. inquiens, Ponticum Rha non carere vi purgatrice: quanquam minorem habeat, quàm Rhabarbarum, & quæ vix drachmâ unâ exhibitâ deprehendatur. Et lib.18. epist.1. scribit, rhaponticum veterum non minus purgare, quàm nostrum rhabarbarū: id quod certo se experimento cognovisse testatur. Antiquos tamen, ait lib.6. epist.2. eo ad ventris purgationem nō esse usos: sed antidotis miscuisse, & ad alios adhibuisse usus, quos operæ pretium non est, hoc loco referre. In eadem sententia sunt etiam* Ruellius, Cordus, Dodonæus, *locis præced. problem. allegatis: & in summa illi omnes, qui rhaponticum Dioscoridis idem cum rhabarbaro nostro statuunt.* Contrà, negantem *recipiunt Matthiolus, Sylvius, Costæus, Pena, Lobelus, & Fuchsius, quibus nos subscribimus.* Rationes *sunt istæ. I. quia nemo veterum Græcorum, aut Latinorum rhapontico catharticam inesse facultatem literis mandavit. Imò* ne Avicenna quidem inter Arabes. *Videantur* Dioscorides *l.3.c.2.* Galenus *l.8. simpl.c. de Rheo, sive*

Rha

Rha. Paulus l.7.c.3. in lit. P. Oribasius l.14. coll.c.10. & lib.12. collect. in lit. P. & lib. 2. de virt. simpl. in lit. P. Aëtius tetr. I. serm. I. in lit. P. Expressè enim de rheo, sive rhao Pontico loquitur: Plinius l.27.c.12. Avicenna l.2. Can. tract.2. c.585. ubi de reubarbaro, quod Raved appellat, eadem ferè habet, quæ Dioscor. & Gal. de rhapontico. Item l.3. Can. fen.16. tract.2. c.7. ubi rheubarbarum mirabilis virtutis esse dicit in ulceribus intestinorum. Nam si rhaponticum purgatorium esset, utiq; veteres, qui eo usi sunt frequentissimè, virtutem hanc in eo observâssent, eandemq;, ut in alijs fecerunt purgantibus diligentissimè, memoriæ prodidissent: quod tamen ab ijs minimè factum legitur. II. quia Dioscorides scribit, rhapontici ἀνωτάτην δύναμιν στυπτικὴν εἶναι, summam facultatem adstrictoriam esse. Et Galenus l.8. simpl. inquit, habere rhaponticum γενναῖα τῆς στύψεως ἔργα, haud instrenua adstrictionis opera. Quam ob causam uterq; illud in hæmoptysi, dysenteriâ, cœliacâ passione, & rupturis commendat. Quodsi summa illi vis adstringendi est ingenita, quis illud catharticâ virtute pollere dicet? III. quia Galenus monet libello περὶ ἀντιβαλλομένων, succedanea ijsdem prædita esse debere facultatibus, quibus ea, in quorũ locum substituuntur. Atqui idem ibidem pro rheo radicem Centaurij magni sumit. Necesse igitur est, ut Centaurium hoc viribus rheo sit simile. At nihil catharticæ potestatis in se continet Centaurium: quemadmodum non modò experientia testatur quotidiana: sed etiam Dioscorides l.3. c.6. Galenus l.7. simpl. c. propr. Aëtius tetr.1 serm.1. de simpl. med. virib. in lit. K. Paulus l 7. c.3: in lit. K. Oribasius lib. 14. coll. c.10. omnesq; recentiores botanographi attestantur. IV. quia Nicolaus Myrepsus in nominum quorundam, quibus in suis compositionibus utitur, explicatione scribit, si ad manum non sit rheon, Centaurij magni, aut Symphyti, quod nostrates Consolidã majorem vocant, radice utendũ esse. Sed radix hæc omni purgatrice virtute caret: ut ex Dioscor. l 4. c.8. edit. Ruell. Gal. l.8. c. propr. simpl. & alijs rei herbariæ scriptorib. liquet. V. quia

Fuchsius

Fuchsius l.1. de comp. of med. c. 84. notat, rhaponticum illud, quod D. Geradus Caroli V. Imp. apud Solimannum, Turcarum Imp. Orator, propriis manibus in Ponti regionibus eradicavit, inque nostras invexit regiones, duarum drachmarum pondere exhibitum alvum potiùs adstrinxisse, quàm movisse. Et nos experimur quotidiè, rhaponticum in infusione datum nihil quicquam purgare. Quod si hoc faceret, malè olim ipsi surrogatum fuisset Centaurium magnum. Viribus enim rhapontico minimè respondisset.

III.

Utrum Rhabarbarum nostrum χωλαγωγὸν veteribus Græcis atque Arabibus fuerit cognitum? *Certum est, rhabarbarum veteribus Græcis, Dioscoridi scil. Galeno, & Theophrasto, ignotum fuisse. Nusquam enim rhabarbari meminêre: neque rheo suo facultatem purgatricem, quæ tamen in rhabarbaro est præcipua, assignárunt. Ex primi etiam problematis decisione satis constat, eos per rheon rhabarbarum nostrum minimè intellexisse. Alia enim accidentia, substantiam aliam, aliasque virtutes rheo tribuerunt, quæ rhabarbaro non competunt.* Avicenna *quidem rheubarbari, quod Raved nominat, l.2. Can. tract. 2. c.585. mentionem facit: Sed ex facultatibus liquet, illum non rhabarbarum nostrum; sed rha Dioscoridis atque Galeni inaudire. Nam quæ isti authores rheo ferunt accepta: illa Avicenna Raved suo inesse asseverat. Innotuisse autem* Mesuæ, *non solùm fidem faciunt interpretes, Sylvius, Manardus, & Costæus in annotat. cap 5. lib. de simpl. purgantibus: verum etiam ea, quæ Mesue de viribus Raved scribit. Ait enim, esse purgatorium clemens, tutū omni tempore, omni ætati salubre, pueris etiam & prægnantibus. Calidum & siccum ordine secundo: duplici donatum substantiâ: una terrea & adstringente: altera aerea & ignea. Illâ vacuare bilem & pituitam: præcipuè à ventriculo & hepate: aperire obstructiones, & affectus inde natos sanare; icterum v.g. hydropem, splenis tumorem, febres putridas, etiam diuturnas, dolorem hypo-*

hypochondriorum punctorium. Hæc sanguinem undecunque manantem sistere: conferre lapsis ab alto, contusis, ruptis, fractis, internis pariter atque externis, si ejus drachma una cum mumia, & rubiæ radice ex vino austero bibatur. Sanare dyssenteriam, si assum, sive ustulatum cum succo plantaginis & pauco vino austero sumatur. Esse amarum. Efficaciùs autem purgare in sero lactis caprini, vel aqua intybi, & apij, aut plantaginis maceratum, & cum spica nardi, quæ actionem illius juvat, expressum. Purgare, aperire obstructiones, & egregiè abstergere in vino albo, puro, atque odoro infusum, & expressum. Pulverem illius post purgationem oblatum viscera adstringendo corroborare. Assum autem adstringere magis: maximè omnium ustum. Si laxius sit, & rarius, triturâ & coctione vires amittere. Dari expressum à sesquidrachm. ad drach. 3. Tritum à drachm. 1. ad drachm. 4. Annos tres, aut quatuor integrum incorruptumque servari, si tùm reb. aliis, quas ibidē recenset, circumlinatur: tùm milio mergatur. Quæ sanè omnia ipsissimā Rhabarbari nostri χολαγωγȣ̃ *imaginē repræsentāt.* Paul. Ægineta *idē etiā novisse videtur. Nā l. 1. c. 43 Rheū inter ea refert medicamenta, quæ aluum subducunt. Sic enim ille inter alia. Admovendam aluum dormituris terebinthina devoranda datur olivæ magnitudine. Si v. magis subducere volumus, de Rheo parum admiscemus. Id quod sanè de Rheo barbarico intelligendum: siquidem jam probatum, Rhapontico nullam concessam esse purgandi facultatem. Lib. verò 7. c. 11. non procul à fine, in antidoto quadā podagrica Agapeti, & antidoto* διὰ κοραλλίȣ, *rhei barbarici expressam mentionem facit.* Idem Actuarius *quoque cognitum habuit. Nam lib. 5. meth. med. c. 5. duplex ponit rheum: unum Ponticum: nimirum in pastillis* διακοραλλίȣ: *alterum Indicum: nempe in pastillis ex rheo Indico, & in aliis contra icterum, & contra diabetem: quorum illud rha Dioscoridis & Galeni: hoc nostrum rhabarbarum est.* Idem *denique* Nicolaus Myrepsus *agnovit. Nam perinde atque Actuarius duplicis rhei meminit: Pon-*

tici quidem in Aurea antidoto Alexandri l. de antidot. sect. 1. c. 1. Barbari verò in antidoto è rheo barbaro, sect. 1. de antidot. c. 32. In quadam alia è rheo barbaro sect. 1. de antidot. c. 464. In antidoto purgante è rheo barbaro sect. de antid. c. 471. In antidoto laxativa ad podagricos & arthriticos sect 1. de antid. c. 488. quam unà cum aliis rhabarbarum ingreditur. In antidoto è moscho, sect. 1. de antid. c. 21. & in antidoto sect. 1. c. 155. quæ ustum recipiunt rheon barbarum.

IV.

An Rhabarbarum rectè Theriacam Andromachi senioris ingrediatur? *Notissimum est omnibus, qui dispensationem Theriacæ Andromachi viderunt, pharmacopœos loco rhei rhabarbarum nostrum* χολαγωγὸν *usurpare: ad imitationem forsan Nicolai Præpositi de Theriacis sect. 22. c. 2. Valer. Cordi in dispensat. & Fernel. 7. meth. med. Hi enim authores rhabarbarum pro rheo ponunt. Verum cum rhabarbarum Andromacho & Galeno fuerit incognitum, non apparet, quomodo ad mentem illorum in Theriaca ponatur. Rectiùs proinde antiqua servatur compositio, & cum Fuchsio ac Foësio rhaponticum eligitur. Hujus enim expressè meminêre Galenus lib. 1. de antidot. Paulus l. 7. cap. 11. & Aëtius tetr. 4. serm. 1 c. 91. His namq; locis Andromachi theriacã describunt, & rhei Pontici, non barbari, mentionem faciunt. Hoc quoq; veteres antidotis miscere solebant. Quodsi in promptu non sit, illius loco ex Galeni consilio radix Centaurij majoris adhibeatur: quæ viribus rhaponticum imitatur. Aut radix illius plantæ, quam Lobelus rha capitatum folio Enulæ Centaurij majoris facie, Dodonæus rha, sive rheum simpliciter nominat. Hoc enim Dioscoridis* ῥᾶ ἢ ῥῆον *putatur. Quanquam id* Prosper Alpinus, *præceptor noster venerandus, lib. de rhapont. c. 3. neget: aliudq; longè, floribus, caulibus, foliis, & radice à rha Lobelij differens nobis describat, vivamq; illius imaginem exhibeat, & ita eum Dioscorideo concordare cap. 4. probet, ut ne una quidem nota*

in

in illo desideretur. Præstat ergò verum rhaponticum sumere. Nam quò pauciora ἀντιβαλλόμενα *Theriaca habet, eò judicatur sincerior & melior. Aut si id haberi non possit, priscum rhapontici* ἀντιβαλλόμενον, *quod ad manum semper est, servare. Quod autem, qui rhabarbarum in Theriacâ ponunt, Nicolai præpositi authoritatem prætendunt, respondet Fuchsius l.2. de compos. med sect. 2. in annotat. Aureæ Alexandrinæ, & Theriacæ, latinos quidē Nicolai, codices rhabarbarum habere: sed perperàm. In Græcis enim exemplaribus* ῥέον ποντικὸν *reperiri.*

V.

Num Aloë venarum orificia aperiat, sanguinemq; per venas sedis educat nec ne? *De Aloë rogatur, quæ succus est illius stirpis, quā Cordus sempervivā Indicā: recentiores semper vivū marinū: Columella, ut Dodonæus suspicatur, sedum amarū; alij Amphibion vocant. Hæc enim usu suo officinis inservit: altera, quā Clusius & Dodonæus Americanā: Camerarius spinosā: Lobelus aloën mucronato folio: Valentini filum & acū nuncupant, nō item. Nū ergò succus prioris aloes inspissatus venarū orificia aperiat, dubitatur?* Fuchsius *in paradoxis*, Vallesius *l.9. cōtr. c.3.* & Manardus *tùm l. 12. epist. 3. tùm in annot. c. lib. de simpl. purg. Mesuæ, negant: I. quia adstringit. II. quia facultatem habet emplasticam. III. quia foris admota sanguinis eruptiones & hæmorrhoidum abundantiam sistit. IV. quia vulnera glutinat: quemadmodum patet ex Dioscor. l.3. c.22. edit Ruell. & Galen. lib. 6. simpl. c. propr. V. quia hujus virtutis ueteres Græci non meminēre. Si venas aperit, & sanguinem exigit, non per se id facere contendunt: sed per accidens: quia fervida excrementa educit.* Affirmat *contrà Mesue lib. de simpl. med. c. 1. quem sequuntur in annotat.* Sylvius & Costæus. *Idem sentiunt Avicēna l.2. can. tract. 2. c.66. nec non l.2. tr. 1. c.5. in fine. Scaliger exerc. 160. s.3. Fernelius l.5. meth. med. c.9. Falloppius l. de simpl. purg. c. de aloë Lusitanus & Matthiolus in Comm. l.3. Dioscor. c. 22. quibus nos suffragamur.*

Experientia namq; docet, iis, quibus, sedis venæ, quas hæmorrhoidales appellant, turgent, aut aperiuntur, vel minimâ aloës sumptâ portiunculâ aut tumefieri, aut diduci. Idquod Scaliger perpetuò se observâsse testatur. Et Falloppius scribit, toties sese fluxum hæmorrhoidum provitâsse, quoties aliquot saltem vicibus aloën dedisset. Videmus etiam, eos, qui aloë frequenter utuntur, in hæmorrhoidum vitium incidere: & mulieribus suppressa menstrua illius sumptione evocari comperimus. Quodsi roges, *undenam aloë facultatem hanc habeat? Respondet* Falloppius, *à totâ substantiâ: vel quod idem, à proprietate, & qualitate occulta: quia alia quoq; pharmaca sunt, non minùs atq; aloë calida, sicca, amara, acria, aperitiva, & abstersiva, quæ tamen venas minimè recludunt, neq; hæmorhroidas movent. A qua sententia haud alienus videtur* Scaliger *loco allegato. Alij, inter quos* Fernelius, *causam hujus effectus ad manifestas qualitates referunt. Aiunt enim, sanguinem prolicere aloën, tenues hepatis venas amarore & acrimoniâ vellicando, podicem corradendo, venasq; hæmorrhoidales aperiendo.* Nobis *utraq; qualitas arridet: occulta quidem, tanquam causa principalior: manifesta autem, velut coadjuvans.* Sed Manardi & Fuchsij sententiam *expendamus. Dicunt, aloën per accidens solùm aperire venas, & sanguinem exturbare, quatenus acres calidosq; humores purgat per anum. Respondet Scaliger* κατ' ἔνστασιν: *& quidem duplicem. I. quia Esula, Lathyris, Turbith, & Pepliũ violentissima sunt cathartica, neq; tamen venas aperiunt. II. quia Raved, h.e. rhabarbarum igneũ humorem in Tertianariis purgat: nunquam tamen compertum, ejus succi arrosione apertas fuisse venas sedis. Aloë ergò, inquit idem, de suo quiddam addit, quo vasa hæc dehiscant.* Ad primam *verò Fuchsij & Manardi* rationem *dicimus, adstrictoriam facultatem, quæ in aloë tamen secundùm Galenum lib. 6. simpl. c. propr. modica est, aperitivam minimè delere. Id quod Rhabarbari, Absinthij, Rhapontici, aliorumq; simplicium, quæ adstrin-*

ſtringendi ſimul aperiendiq́ virtute prædita ſunt, exempla declarant. Huc accedit, quòd utraq́ facultas non ab eodem fonte fluit. Locum ergò in uno eodemq́ ſubjecto habere poteſt. Ad ſecundam *dicit Scaliger, nil impedire, quo minus idem ſimplex emplaſticum ſit, & tamẽ etiam venas reſeret. Nam aloë v.g. glutino ſuo venarũ oris appoſita operculum imponit: ſuo verò calore venas aperit.* Ad tertiam *eadem eſt reſponſio. Abſurdum videtur Manardo & Fuchſio, contrarios eidem rei tribuere effectus: cohibitionem ſanguinis, & ejusdem provocationem. At abſurdum non eſſe, ratio & ſenſus monſtrant. Sunt enim in quamplurimis facultates contrariæ à quibus non niſi contrarij prodire effectus queũt. Myrrha ſanè, quia emplaſtica, vulneratis partibus foris admota, ſanguinis cohibet fluxionem. At quia eadem calida, abſterſiva, & aperitiva, intus aſſumpta, & menſes, & partus extrahit. Eadem ratio aloës.* Ad quartam. *Aloë vi adſtringente, ſiccante, & detergente vulnera glutinat: aperitiva autem, abſterſiva, & occultiore, illa, quæ ἄῤῥητ@, vaſorum oſcula diducit.* Ad quintã. *Licet veteres Græci aperitivæ facultatis non meminerint: non tamen etiam illam negârunt. Quin ſi maximè negâſſent, ipſorum tamen placito minimè ſtandum foret. Experientia quippe aliud docet: cui in dijudicandis ſimplicium viribus plus, quàm vel authoritati, vel rationi tribuendum.*

VI.

An Sena flatuoſa ſit, eamque ob cauſam tormina ventris pariat? *Meſue lib. de ſimpl. purg. c. 15. de ſena diligenter egit. Ejus quoque hiſtoriam & facultates explicuêre Fernelius, Fuchſius, Sylvius, Falloppius, & alij, qui vel de purgantibus ſolùm: vel de ſtirpibus tractârunt ex profeſſo. Verum nullus, quod ſciamus, flatuoſam eſſe ſenam ſcripſit. Quin omnes calidam ſiccamque pronunciârunt; Quomodò ergò flatuoſa erit? Flatulenta namq́ quæ ſunt, vel humiditatis quid habent ſuperfluæ: vel inſuper etiam calorem debiliorem. At inquiunt plebeij, tormina*

vetris parit. Respondemus, parere ea non per perse; sed per accidẽs: quatenus vel folliculi ejus immaturi, qui excrementitiâ scatent humiditate, usurpantur: vel corpus aggrediuntur obstructionib. præpeditum: aut phlegmate refertum: quo mulieres & pituitosos viros abundare novimus. Eligatur ergò sena matura, ac proba: & præparetur ad purgationem corpus, & senam tormina neutiquam parituram deprehendemus.

VII.

Utrum folia, an folliculi senæ, quos etiam siliquas vocant, sint efficaciores? *Mesue lib. de simpl. purg. c. 15. folliculos præfert foliis. Verum non quosvis: sed eos solùm, qui ex viridi nigricant; qui modicè amari: qui subadstringentes: qui perfecti atque absoluti: qui recentes: in quibus semen amplum compressum. Vetustate enim perire virtutem scribit. Subalbidos atq; imperfectos damnat. Mesuen sequuntur Fernelius l. 5. meth. c. 10. Fuchsius l. 1. de comp. med. c. 79. Costæus in annot. c. 15. l. de simpl. purg. Mesuæ: & alij plures, inter quos Andernacus. Et rationabile sanè est, veteres Medicos, quibus nota erat sena, folliculis tantùm usos. Mesue namque senam plantæ folliculum appellat. Et Actuarius lib. 5. meth. c. 8. dicit, Sene fructum esse, qui ex Syria & Aegypto aduehatur. Per fructum nil aliud, quàm folliculum intelligens, semen continentẽ. Eam siquidẽ Senæ partem Mesue & Actuarius, describebant, qua maximè utebãtur.* Manardus *in annot. super loc. alleg. Mes. sensit contrarium. Experientia, inquit, ipsa ostendit, folia in purgandi vi esse potentiora. Et Fallopius lib. de purg. simpl. c. 59. ingenuè fatetur, libentiùs se folia, quàm folliculos usurpare. Hinc videmus, multò maiorem foliorum, quàm folliculorum, copiam passim venditari.* Nos sic statuimus. *Si tales folliculos, quales Mesue describit, nostris in regionibus habere possemus, utiq; foliis valere jussis folliculos eligeremus. Idq; & ob propriam, & contentorum seminum virtutem. Verùm, cum qui ad nos feruntur, vel adhuc sint immaturi: vel vetustate consumpti,*

& ve-

& vesicæ utplurimùm vacuæ, colore & sapore nativo privatæ: palmam folijs damus. Illi enim flatus gignunt, & ventris torsiones excitant. Hi verò parum, aut nihil operantur: utpote viribus exhausti. Folia autem, siquidem sint viridia, & crassa, sive corpulenta, (nam hæc subalbidis & tenuibus Mesue anteponit) efficacia sunt satis, & in magna quoq; copiâ ad nos vehuntur.

VIII.

Recténe Absinthium, Centaurium minus, Fumaria, Hyssopus, Thymus, Capillus Veneris, Eupatorium, Stœchas &c. inter purgãtia â Mesue numerentur? *Si pro purgantibus in genere ea omnia habenda, quæ vel urinas movent: vel quacunq; ratione alvum subducunt: utiq; propositis modò simplicibus locus inter purgantia erit. At si ea tantùm purgantia dicenda, quæ facultate nobis occultâ peculiares humores trahunt, de quibus quidem hactenus à nobis disputatum fuit, haud sanè videmus, quomodo enumerata simplicia inter* τὰ καθαρτικὰ *stare possint. Hoc enim modo minimè purgant: ut experientia testatur. Quam ob causam nostrates practici ea nõ purgantibus: sed ijs, quæ ad purgandum juvant, & præparant; & ÿs, in quibus purgantia macerandave sunt, adscribuntur.*



ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Utrum per τὸ θεῖον, quod inesse morbis Hipp. lib. prognost. scribit, non tantùm cœlestium corporum influxus, & aëris nos ambientis conditio: verum etiam quævis alia abstrusa abditaque causa intelligi poſsit, ac debeat A.

II.

Recténe curatio causarum morbificarum ablatio definiatur? N.

Verum-

III.

Verumné illud Hippocratis l. de loc. in hom. radix muliebrium affectuum uterus: & illud in Epist. ad Demetriũ Regem, radix plurimorum gravissimorumque morborũ in utroque sexu caput? Verissimum.

IIII.

Num omnis calculus vesicæ originem trahat à calculo renum, ut Fernelius putat? N.

V.

Quid de illo Damasceni aphor. 82. sentiendum: quodvis catharticum necessariò bilem flavam exagitat? Rationi consentaneum.

VI.

An verum, quod Hipp. de menstruo sanguine dixit, ἀδελφὸν, germanum lacti esse? A.

VII.

An cerebrum & ossa inflammari possint? A.

VIII.

Verumné, quod vulgò dici solet, recidiuas deteriores & periculosiores esse morbis, qui illarum sunt fontes atque radices? A.

IX.

Denturné morbi, ut Fernelius loquitur, totius substanstantiæ? A.

X.

An omnis calculi efficiens causa sit renum fervor: materia humor pituitosus? N.

FINIS.